enim Deus denuò inserere illos. Etenim si tu ex naturali »
exectus es oleastro, & præter naturam insitus in veram »
Oleam, quãto magis ij, qui naturales sunt, inserentur pro- »
priæ oleæ? Non enim volo vos ignorare, fratres, mysterium »
hoc, vt ne sitis apud vosmetipsos elati animo, quod excæ- »
catio ex parte Israeli accidit, donec plenitudo gentium ad- »
uenerit, & sic totus Israel saluus erit. Sicut scriptum est: Ad- »
ueniet ex Sion ille qui liberabit, & auferet impietates à »
Iacob, &c.

Audistis, viri fratres, quid nobis hic gentibus, gentium dicat Apostolus: quid de Iudæis, deque eorum perfidia & reiectione disserat: quid de Olea, & oleastro: quid de ramis naturalibus, & insititijs: quid de fide & incredulitate: quid de clementia & seueritate Dei: de credentium modestia & perseuerantia: quid denique de gentium plenitudine, & Iudæorum nouissima reuocatione Paulina hæc nos concio edoceat. Amplissima profectò materia & multiplex, vestraque non tam digna auscultatione, quàm mihi ad pertractandum difficilis, de qua neque parùm oporteat quicquam dici, nec satis vnquam dicere quisquam poterit. Verumenimuero quoniam campum hunc latissimè licet patentem semel ingressus sum, quamlibet rerum ipsarum grauitate pressus, fretus nõ meis humeris, sed Christi gratia, pergam vt potero, dicturus de tot tantisq; rebus, si non quantum fecerit argumento satis, at quantum diuina dederit benignitas.

Summa totius Paulinæ concionis paucis cõprehensa.

Huius autem concionis tota distributio duabus potissimùm constat partibus, quarum altera Iudæos attingit, altera ad nos gentes pertinet. In Iudæis ruinam deplorat, incredulitatem coarguit, seueritatem in eos diuinam nobis spectãdam proponit, seueritatis causas indicat, solicitus de salute illorum ad æmulationem prouocat: ac demùm de vltima eorum reconciliatione, veluti diuinans, spe recuperandæ denuò misericordiæ miseros cõsolatur. In gentibus porrò fidem laudat, immensam erga ipsos bonitatem Dei illustrat, pristinæ conditionis infelicitatem in memoriam reuocat, præsentem felicitatem eis adgratulatur, in qua ne

DE OLIVA EVANGELICA.

CONCIO, IN BAptiſmo Iudæi habita Londini, *primo menſ. April.*

Cum enarratione capitis vndecimi D. Pauli ad *Romanos.*

In qua, de principijs & fundamentis Chriſtianæ fidei, de vera & ſyncera eccleſia, de Christo Meſſia, eiuſque regni æterna amplitudine, atque infinita gloria, Diſputatio *cum Iudæis ex Propheticæ ſcripturæ certiſſimis teſtimonijs inſtituitur.*

Per Ioan. Foxium.

LONDINI,
Ex officina Chriſtophori Barkeri, Regiæ Maieſtati Typographi.

1578.



MAGNIFICO CVM primis & inter patricios summates Laudatissimo viro, D. Francisco

Walsinghamo, Reginæ Elizabethæ Consiliario, illiq; à secretis commentarijs intimo, Io. Fo.

ἐν τῷ χριστῷ

χαίρειν.



ACcipies igitur, quando itâ libuit Christof. Barkero nostro, imò nō nostro, sed Regio Typographo (vir clarissime, heros inclyte, Francisce celeberrime) qualemcunq; hanc laboris nostri fœturam, DE OLIVA EVANGELICA conciunculā, ad te venientem, tuo que nomini inscriptam, non à me, vt scias, sed à Barkero, tuo honori deuinctissimo, quem dixi, qui huc me suis consilijs, suasiunculis pellacibus, fauore & gratia, modis denique omnibus non pellexit solum, sed vi quodam modo expugnauit, vt id facerē. Id quod nescire te nolui, vt si quid hic sit, quod prosit aut placeat, gratia in solidum ad eum omnis redeat. Sin aliter, munusculum hoc Chartaceum huiusmodi videbitur, quod vel homini Aulico non satis aptum, vel magnitudine sua tuæ dignitati non satis respondeat, faba in eum cudatur, non in me. Quanquam neq; hic aberant causæ & certæ & honestæ, quę me satis alioqui propēsum ad has officij partes impellerent. Primum eximia tuæ in me benignitatis testimonia, vt tua quidem digna dapsilitate, ita longe meis meritis superiora. Deinde, vt satis memini, quum primum habita à me esset hæc concio, nec eo tum con-

tenta tua pietas, iterum eandem in cubiculo tibi repræsentari deposceret, postulare videtur tuum hoc tam pium desiderium, vt eam nunc tertio repetitam, maioriq́; fortasse cura elaboratam meritò sibi vendicare debeat. Adiungit se præterea causis ijs, quas commemoraui, & alia ratio, haud minus æqua & idonea. Nam si insignis hæc tua vereq́ue heroica benignitas in vite illa tam delicata, qua me ad complures iam menses tam profusè & liberaliter refocillasti, summum quoddam specimē voluit sui in me candoris ostendere: næ ego meritò inter ingratos scribendus essem, si pro vite illa tua Gallica, non aliquem vicissim ex Oliua nostra Britannica velut flosculum ad te remitterem: quo si non paria facerem cum tua vinea, at grati saltem debitoris propensam voluntatem declararem, πρὸς τὸ ἀντιπελαργίζειν. Honorificam tuam amplitudinem, cum vite tua fructifera, & nouellis oliuarum in circuitu mensæ tuę D. Iesus gratia sua custodiat, pietate foueat, consilio dirigat, pace exhilaret, donis illustret in multā ecclesiæ & reipub. vtilitatem. Londin. Die Natalis Dom.

Tuus in
Christo
Ioan. Foxius.



Ad Christianum Lectorem,

Præfatio parænetica.



VVM ſola Chriſti fide eiuſq; cognitione omnis conſtat iuſtitiæ noſtræ perfectio, ſine quo nihil valet uniuerſa hominum poteſtas, nihil induſtria efficiat, ac ne ipſa quidem totius naturæ vis quicquam conferat, nihil virtutum decus, nihil doctrinæ excellentia proficiat, vel ipſo dictante Domino : Sine me nihil poteſtis facere : *quid miſeris proinde mortalibus curæ magis eſſe decet, quàm vt in fide hac creſcentes quotidie Chriſtum vitæ principem certiſsimè nobis cognitum, atque in intimas animæ venas traiectum, tanquam in ſacro quodam templo habitantem teneamus, noſq; viciſsim in ipſo coniunctiſsimè incorporemur. Id autem vt fiat inprimis opus fuerit, vt ipſius primum ductu vtamur & conſilio:* Scrutamini, *inquit*, ſcripturas, illę ſunt quę teſtificantur de me. *Idemq; rurſus à Petro audimus Apoſtolo, qui de eadem re monens :* Et habemus, *inquit*, firmiorem ſermonem propheticum, cui dum attenditis ceu lucernę apparenti in obſcuro loco, recte facitis, donec dies illuceſcat, & lucifer exoriatur in cordibus veſtris . *Quin & alibi Dominus ipſe ad legem & Prophetas, tanquam certiſsimos docendi magiſtros nos relegat. Etſi veriſsimum eſſe illud haud abnuerim quod teſtatur D. Paulus, fidem donum eſſe Dei à gratuito ipſius munere proficiſcens. At eodem hoc dono media interim legitima non excludit, vbi ait :* Fides ex auditu, auditus autē per verbum Dei. *Quo magis culpandi ſunt hi, qui fide illa implicita, quam vocant, contenti, nihil aliud in plebe imperita requirendum putant, niſi vt ea duntaxat credant, quæ cæteri credunt homines . Verum non ſat iſtud erat priſcis illis olim in prima eccleſia Apoſtolorum auditoribus, qui licet ijs minimè diffidebant, quæ ab Apoſtolis docebantur, attamen ob hoc etiam laudati ſunt, quòd cum prophetarum libris eadem, quæ acceperant, contulerunt . Neque enim parum illud ad colligendam fidei certitudinem faciebat. Nunc verò eo reciderunt tempora, neſcio quo modo Chriſtianorum, vt fides hæc Chriſtiana, quam firmiſsimè impreſſam eſſe ſuo cuiuſque pectore conueniebat, in multis vel non ita exculta ſatis, vel in alijs ſublanguida, in quibuſdam vix etiam tenui quadam opinione ſubnixa videatur . Quanquam neque hæc etiam ipſa quamlibet exilis fidei ſcintillula improbāda eſt, at minimè certè probanda hæc in hominibus noſtris tanta ſupinitas. Quorū alij alijs rebus ac curis immerſi, aut ſtudijs delectati, ſummum illud fidei margaritum, quod vnicê ditat ad æternæ vitæ poſſeſsionem, haud perinde magni æſtimant, aut non ea certè, quæ par eſt, ſollicitudine peruestigant. Alius vt honoribus decoretur, quid non tum facit, tum patitur. alius totus eſt, & pluſquam totus in cumulando cenſu. alius perūgit ſe melle voluptatum, quoniamq; diu viuere non licet, nec libet bene viuere, omnem dat operam vt viuat ſuauiter. Quis non præclarum eſſe exiſtimat ſplendidum vel*

in aula locum, vel in ecclesia præposituram, vel in populo dignitatem obtinuisse? Quis non beatum ducit eum, cui quocunque modo obtigit ad amplissimas anhelasse possessiones? Cui non felix videtur in delitijs viuens? Iam de artibus & studijs quid referam, quæ vel ad quæstum ducunt, vel ad mundi huius gloriam? In quibus consectandis quum maxima consumitur vitæ pars, vix vllum interim vel tempus suppetit, aut cura nos afficit eorum, quæ perducunt ad Christum. vt eos hic ne cõmemorem, qui vix vlla, vt videntur, tincti religione, nulla fere fide imbuti, Diagoris aut Protagoris, quàm Christianis similiores, à Christianismo in atheismum, nescio quem, ita degenerarunt, vt nihil ferè sacrum habeant, nec quicquam credant, nisi quod intra præsentis vitæ metas à communi natura positum oculis & sensibus emetiuntur. Accedit huic vicinia & alia classis hominum haud multum à superioribus abhorrentium, qui quum sectis & pugnis, vt aiunt, controuersiarum omnia dissecta vident in religione Christiana, ipsi vnam hanc habent religionem, ne quid omnino his commertij sit cum sacra religione.


Quid quod inter nonnullos etiam, qui ipsissimam religionem pleno ore profitentur, quam non multos reperias, qui quum in Christum se credere non negabunt, at quamobrem in eum credunt, quæ sit Dei patris in Christo voluntas, quæ gratia, quæ quantaq; proposita nobis in illo promissiones, quæ maiestas & amplitudo regni eius, quæ diuitiæ gloriæ ipsius, quæ sit latitudo, & longitudo, & profunditas, & sublimitas, quam præminens cognitionis ipsius dilectio, quanta fidei huius potentia, quæ firmitas, quibus denique fides hæc nitatur fundamentis, vix vllam reddere queant rationem. Nunc verò quum harum rerum certa cognitio & theoria aliunde peti recte non posit, nisi ex sacris mysticæ scripturæ adytis, retulerit proinde non parum, vt ijsdem in literis suos quisque sensus quàm maximè habeat exercitatos. Vt vt varijs & infinitis quæstionum labyrinthis distrahitur Christiana hodie theologia, fides tamen simplex & vna existit. Atque vt vna est, ita & cognitissima eadem sit cuique necessario oportebit, vt Christum nimirum omnes sciamus, vt fiducia pedem omnẽ in eo figamus, eum vt audiamus atque animis penitus imbibamus paterna omnes mandamur autoritate, quandoquidem sine eo nullum sub cœlo nomen datum est, in quo spes opesq; hominum sunt omnes reconditæ. Hunc ergo discant principes, huic auscultent subditi, senes hunc rapiant, iuuenes amplectantur, in hoc margarito ditescant opulenti, in eo se consolentur inopes. Discitur autem nusquam felicius, quam ex diuinis ipsis scripturæ propheticæ fontibus. Verumenimuero quisquis margaritum hoc euangelicum sibi comparare studet, quærat primum studiose necesse est. Neque enim aliter contingit gemma hæc insignis nisi quærentibus. non pascit cælestis hic cibus nisi famelicos. Sitiat oportet toto spiritu, qui aquas has degustet salientes in vitam æternam. Non ocio non ignauia torpentibus aperitur hæc porta, sed pulsantibus. Pulsate, (Mat. 7.) inquit ille, & aperietur vobis, quærite & inuenietis. Cunctis ex æquo patet regni huius felicitas, in medio posita, sed non à cunctis rapitur, nisi duntaxat à violentibus. Et quid quæso fide violentius, quid fortius, si vera sit, si viua sit, si verè Christi sit? quippe quæ Christo capiti innixa in cœlo pugnat, in aëre dimicat aduersus eum cui potestas est aëris, aduersus spirituales nequitias

quitias in cœlestibus, in terra contrà mille pericula, in inferno contra Satanam, & portas inferorum velitatur: contra mortem pro vita æterna, contra legem pro iustitia, contra conscientiæ pauores, pro pace & libertate decertat.

Quare quum res tam potens atque ad omnes vitæ vsus necessaria fides sit in Christo Iesu, quid superest porrò, nisi vt ad Christum clamemus singuli & vniuersi, vt is veram sui notitiam nobis impertiat, vt faustissima fidei suæ luce & claritate oculos carnis nostræ perfundat, id denique dignetur in nobis efficere, quod in Discipulis olim, quibus in via scripturas aperiebat. Ita enim legimus: Et exorsus a Mose & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. *Et mox iterum:* Tunc aperuit illorum mentem, vt intelligerent scripturas, & dixit eis, Sic scriptum est. *Ex quo nemini obscurum esse poterit, quod potissimum sacri interpretis munus esse oporteat. Hoc nimirum, vt omissis aut intermissis quæstionum non necessariarum parergis, sacras populo scripturas, tum vero eas maximè, quæ fidei excolendæ conducunt, aperiat. In quo argumenti genere, quoniam pro suscepta materia, & temporis occasione mihi in hac concione laborandum fuit, visumq; ita amicis sit operam non indignam fore publica auscultatione, cessi illorum consilijs, vt in lucem prodire istud quicquid libelli est, permitteremus. Quem etsi ego libellum Iudæis præcipuè reuocandis destinatum volui, tamen neque Christianis etiam ipsis inutilem prorsus futurum confido. Primum quia fieri possit, adeoque metuendum video, ne inter quosdam fortè eorum, qui in Christum se credidere dictitant, nonnulli existant, in quibus fides ipsa in labris duntaxat natitans, non tam altas egit intus radices, vt certam exploratamq; ipsius rationem reddere, si res in periculum veniret, satis adhuc didicerint. Deinde vt firma securaq; stet sua cuiusque fidei stabilitas: quæ tamen tam certa constansq; fides reperitur, vt reddi non possit certior. Quod si in ænigmate olim videbat Paulus: si Apostoli post tot inspecta miracula indigebant tamen scripturarum interpretatione: si in Actis Apostolicis hi qui docente Paulo sermonem tum receperant, scripturas nihilo minus quotidie scrutabantur, an illa ita se haberent: qui minus & idem nobis euenire potest, vt de fide in fidem & ipsi crescamus indies? Postremo cū nihil sit aliud, quod antiquus & capitalis ille hostis vel inuidet nobis malitiosius, vel oppugnat hostilius, quàm fidem hanc in Christo nostram, inprimis id prospiciendum modis omnibus censeo, vt in fide sua quisque immotus atque munitus, quàm maximè licebit, aduersus assultus diaboli subsistat. Ad eam rem quid adiumenti conciuncula hæc sit allatura nescio. Id Christus ipse Dominus videat & adiuuet. A me præstitum est, pro tenui imbecillitate, quod licuit, quodque concessum est à Domino. Qui sacra tua studia (pie Lector) feliciter prouehat, ac dirigat ad nominis sui gloriam. Amen.*

Luc. 24.

Act. 17.




Gemitus piorum ad Christum pro maturo reditu.

CHriste memor nostri, rumpant tua numina nubes,
Daq; tuis redeat, te redeunte, quies.
Longa satis Seruator abes nunc secula terris,
Nos tua dum gemimus gens laniata lupis.
Mundus vt in nostram præceps insanit & ardet
Perniciem, tutum nil sinit esse tuis.
Vndique desertos fera nos sic fata fatigant,
Nullaq; non nostro sanguine terra rubet.
Ista precor videas longos miserate labores:
Nec videas, venias te, pie Christe, precor.
Te sine nulla mihi vita est, mihi nulla voluptas:
Delitij nihil est, te sine, Christe veni.
Spiritus vt venias, iubet & te Christe venire:
Rumpe vocate moras, Christe, citoq; veni.
Quicquid in orbe patet tellus, pelagusq;, polusq;,
Fessa petunt reditum quæque creata tuum.
Felix hora quater, nos qua in tua colla ruamus:
Inq; sinus plaudat sponsa venire tuos.
Tum noua perpetuæ durabunt tempora vitæ,
Tempora tum nullis commaculata malis.
Tergentur lachrymæ, luctus, gemitusq; facessent:
Nulla cadent siccis salsa fluenta genis.
Ergo vtinam cælo redeas, quò terra quiescat:
Solus enim miseris anchora sola manes.
Atq; age nunc mecum quicquid tegit axis Olympi,
Cum senibus pueri, cum puerisq; senes:
Vos seu vita tenet, seu vos tenet arida nigris
Pulueribus, frontes tollite, Christus adest.
Munera qui reddet vitæ, qui iura salutis
Nunc reparata dabit, plaudite Christus adest.
Illa est, illa meis semper memoranda Calendis
Lumine, quæ solem vincet & astra, dies.

Dextra potens Domini cælo quam misit ab alto,
Lætitiæ precium, principiumq; meæ.
Quæ vox tantarum plusquam miracula rerum
Exprimet, & celsi munera tanta patris?
Quum vice iam rerum versa, mundiq; prioris
Stat natura stupens, statq; stupendo tacens.
Victáque dat nunc ipsa manus, sentitq; pudorem,
Quæ noua sit mirans, quæ venit, ista dies.
Mors quoque victa manus metuens sibi porrigit vltro,
Nunc sua quum fracta cuspide tela videt.
Irrita fata iacent, iacet inuida parca, suumq;
Scindere nunc stamen cogitur ipsa sibi.
Cedere qui nulli didicit ab origine rerum,
Cedere iam discet Terminus ille Lapis.
Mortua viuiscunt, redeunt sua membra sepultis:
Et sua iam cineres taphica scripta legent.
Quos mare, quos morbus, quos abstulit ensis, & arma,
Furca, feræ, fames, carcer, & ignis edax:
Quæque suos reuoment iterum monumenta solutos,
Pontus & vnda suos, puluis & vrna suos.
Omnia sistentur iusta trutinanda bilance.
Sola fides stabit cum pietate manens.
Nunc cadet & Babylon, cadet alta potentia regum.
Vnus erit toto Christus in orbe potens.
Tristia iam lætis vertentur, & vltima primis,
Celsa ruent, stabunt quæ cecidere prius.
Quos caro, quos mundus vexant, Satanæq; furores,
Felices mecum plaudite, Christus adest.

FINIS.



CONCIO DE Oliua Euāgelica, in baptiſmo viri Iudæi nuper Londini habita, cum enarratione capitis 11. D. Pauli ad Romanos.



Rimùm, vt par eſt, Chriſto Optimo Maximo gratias ago, qui pro immenſa ſua miſericordia, ſummóq; beneficio hanc nobis hoc die & loco conueniendi, mihique apud vos dicendi occaſionem aperuit. Quin & vobis deinde, qui tam læti atque alacres in cœtum hunc, conſueto more veſtro, non tā nouitatis ſtudio, quàm religionis amore confluxiſtis, non vt humanę fabulę ſpectatores, ſed vt teſtes diuini ſitis beneficij, gratias meritò habeo, laudoque in Domino. Denique & huic ipſi, cuius cauſa cōuenimus, qui ex vltima Barbaria ad nos deuectus, iámque ſexennium apud nos agens, relicta patriæ gentis pertinacia, tam parata & accincta voluntate, Chriſto nunc ſe adiūgere, atq; in eius cōmunionem per fidem & baptiſmum intromitti poſtulat, lubens atque ex animo adgratulor: ſimulq́ue Dominum precor, vt quod in aduentitio hoc vno Iſraelita tam feliciter ipſius cœpit vocatio, idem tum in ipſo prouehat, tum in reliqua vniuerſæ circumciſæ ſtirpis cognatione, pari exemplo proſequatur. quò tandem omnes & Iudæi pariter & Gentes, ſuſcepta Chriſti fide & ſacramentis, ſub vno paſtore, in vnum aggregati ouile, vno ore, vno ſpiritu, vnanimi conſenſione vnigenitum Dei Filium, Seruatorem vnicum glorificemus, & ab eodem viciſſim glorificemur. Quod vt clementiſſima ipſius donet pietas, idemq́ue vt placidam nobis vitam ſub placidiſſima Regina, & honorandis magiſtratibus noſtris indulgeat, rogo charitatem veſtram, vt iunctis ſimul votis, & animis *Exordium.*

 com-

communem in cœlis Patrem, ea oratione quam nos Filius docuit in Euangelio, interpellemus.

ORATIO.

Quoniam verò solenni multorum ritu receptum video, in administrandis Ecclesiæ sacramentis, vt aliquid è sacris Scripturæ codicibus populo instituendo recitetur: cogitãti itaq; mihi, quid hoc loco ac tempore apud vos dicturus ad publicam potissimùm ædificationem appararem, haud alia profectò materia, vel ad doctrinam vtilior, vel ad monendũ efficacior, vel temporibus accommodatior, ipsaq; opportunitate concinnior visa est, quàm si verba D. Pauli Apostoli non multa quidem illa, at longè grauissima, ex capite eius epistolæ, quam ad Romanos scripsit, vndecimo, vestrę auscultationi proponerem. Quæ quò maiori cum fructu à vobis percipiantur, hoc attentiori, non aurium, sed animorum propensione, ijs quæ dicentur incumbendum vobis esse censeo. Quid autem dicat Apostolus, ipsum suis loquentem verbis accipite.

Rom. cap. 11.

Thema ex cap. 11. *ad Rom.*

Vobis dico gentibus, quatenus ego quidem sum Apostolus gentium, ministerium meum illustro, si quo modo ad æmulãdum prouocem carnem meam, & saluos reddam " nonnullos ex illis. Nam si reiectio illorum est reconcilia- " tio mundi, quæ erit assumptio, nisi vita ex mortuis? Quòd si " primitiæ sanctæ, sancta & conspersio. Et si radix sancta, san- " cti erunt & rami. Quòd si nonnulli rami defracti sunt: tu " verò cùm esses oleaster, insitus fuisti illis, & consors radicis " & pinguedinis Oleæ factus es, ne glorieris aduersus ra- " mos. Quòd si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. " Dices igitur, Defracti sunt rami, vt ego insererer. Benè di- " cis: per incredulitatem defracti sunt, tu verò fide cõstitisti. " Ne efferaris animo, sed timeas. Nam si Deus naturalibus " ramis nõ pepercit, vide ne qua fiat, vt nec tibi parcat. Ecce " igitur bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem qui " ceciderunt, seueritatem: in te verò bonitatem, si perman- " seris in bonitate. Quoniam & tu excinderis, & illi rursum, " si non permanserint in incredulitate, inserentur: potest

enim

enim Deus denuò inserere illos. Etenim si tu ex naturali »
exectus es oleastro, & præter naturam insitus in veram »
Oleam, quāto magis ij, qui naturales sunt, inserentur pro- »
priæ oleæ? Non enim volo vos ignorare, fratres, mysterium »
hoc, vt ne sitis apud vosmetipsos elati animo, quod excæ- »
catio ex parte Israeli accidit, donec plenitudo gentium ad- »
uenerit, & sic totus Israel saluus erit. Sicut scriptum est: Ad- »
ueniet ex Sion ille qui liberabit, & auferet impietates à »
Iacob, &c.

Summa totius Paulinæ concionis paucis cōprehensa.

Audistis, viri fratres, quid nobis hic gentibus, gentium dicat Apostolus: quid de Iudæis, deque eorum perfidia & reiectione differat: quid de Olea, & oleastro: quid de ramis naturalibus, & insititijs: quid de fide & incredulitate: quid de clementia & seueritate Dei: de credentium modestia & perseuerantia: quid denique de gentium plenitudine, & Iudæorum nouissima reuocatione Paulina hæc nos concio edoceat. Amplissima profectò materia & multiplex, vestraque non tam digna auscultatione, quàm mihi ad pertractandum difficilis, de qua neque parùm oporteat quicquam dici, nec satis vnquam dicere quisquam poterit. Verumenimuero quoniam campum hunc latissimè licet patentem semel ingressus sum, quamlibet rerum ipsarum grauitate pressus, fretus nō meis humeris, sed Christi gratia, pergam vt potero, dicturus de tot tantisq; rebus, si non quantum fecerit argumento satis, at quantum diuina dederit benignitas.

Huius autem concionis tota distributio duabus potissimùm constat partibus, quarum altera Iudæos attingit, altera ad nos gentes pertinet. In Iudæis ruinam deplorat, incredulitatem coarguit, seueritatem in eos diuinam nobis spectādam proponit, seueritatis causas indicat, solicitus de salute illorum ad æmulationem prouocat: ac demùm de vltima eorum reconciliatione, veluti diuinans, spe recuperandæ denuò misericordiæ miseros cōsolatur. In gentibus porrò fidem laudat, immensam erga ipsos bonitatem Dei illustrat, pristinæ conditionis infelicitatem in memoriam reuocat, præsentem felicitatem eis adgratulatur, in qua

 ne

ne nimium sese efferant, rogat ac monet sedulò, à superba miserorũ insultatione ad modestiam eos reflectit, animos fastidio tumentes saluberrima cautione cõprimit. Deniq; proposito Iudaicæ calamitatis exemplo deterret, potẽtiam Dei in dispensandis transferendisque suis donis commemorat, quò sic insolentiam gentium compescat, atque intra modestiæ fines contineat intereà, donec expleto tandem iustæ plenitudinis curriculo, vtriq; & Iudæi, & gentes pariter, aspirante Dei gratia, in vnam Ecclesiæ collectionem aggregentur. Atque hæc de propositis concionis partibus.

Diuinæ promissionis prima exordia.

Oliua tribus constãs Radice, Corpore & Ramis.

Genus vero docendi metaphoricum est & propheticum, quo Ecclesiam Dei Oliuam facit, quæ tribus rebus cõstat: Radice, corpore, & ramis. Radicis nomine Abrahamum, sanctosq; patriarchas designat, quoniam ijs primùm ædita sunt diuinæ promissionis exordia. Corpus arboris depingit nobis Ecclesiam vndecunq; ex omni credentium numero accumulatam. Quæ ex sancta radice enata primùm, ac solidum deinde robur, iustumque corpus colligens, demùm ex pinguissima radicis vbertate latissimè diffundit ramorũ propagines. Qua hypotyposi tum vetus Iudæorũ synagoga, tum recens gẽtium Ecclesia figuratur. Hancq; Oliuam ne quis temerè enatam, aut humana opera consitam arbitretur, sanctam vocat è sancta radice productam. Cuius colonus non homo, sed Deus ipse producitur, qui curã Oliuæ huius vigilantissimam gerit, geretq; perpetuam. Vtcunque frondes suas & folia mutat hæc arbor, ipsa nunquam mutatur, nunquam excinditur hęc Oliua. Itidem & Ecclesia Dei sancta sanctissimo innixa fundamento diuinæ promissionis, perenni sua quadam stabilitate constat, eadémque stabit in æternum, etsi in membris eius non eadem omninò cernitur stabilitas: sæpéque accidat, vt prima in postrema vertantur, & postrema primas ferant, vt naturalia cedant exoticis, domestica alienis, miráque vicissitudine alijs alia succedant & permutentur. Quemadmodum in re hortensi subinde venit vsu, vt arborum comæ plus nimio luxuriantes interdum excindantur, aliáque inserantur plantaria, quò feliciùs frondescat arbor: haud secus cœlestis ille

Ecclesia.

ὁ κηπουργος, καὶ φυτόνομος noster Oliuam hanc Ecclesiæ suę sæpe quidem putat, at nunquam amputat (vt habet Augustinus) nunc ijs, nūc illis defractis ramentis, quorum vice nouæ surrogantur plantulæ. Eóque accidit non rarò, quod idem testatur Augustinus, vt intra Ecclesiam multi videantur lupi, dum interim foris multæ sint oues, quæ nobis nondum videantur. Id nullo vnquam exemplo magis comprobatum, quàm Iudæorum, & Gentium. De quibus dicentem nunc audiamus Apostolum. *Augustinus.*

VOBIS, inquit, dico gentibus, quatenus ego quidem »
gentium sum Apostolus, Ministerium meum illustro, &c.] »
Cùm in omni oratione, quæcunque de re quaque instituitur, duo maximè spectari solent, quis dicat, deinde quid dicatur, nos vtrunque in hoc loco, Christo Duce, suscipiemus: primùm vt dicentis personā, tum vt res ipsas, de quibus agitur, expendamus. Atque de rerum grauitate, quæ hic docentur, vt nemini in dubium venire possit, ita nihilo minus & grauis & illustris accedit doctoris commendatio. Quæ enim vel ad fidem grauior, vel munere splendidior autoritas, quàm Apostolica? Tum inter hos ipsos Apostolos, quis nobis esse debet gentibus vel charior, vel commendatior Apostolo Paulo? Qui si ab hominibus ad nos missus venisset, esset tamen humanitatis, vera docentem benigna amplecti auscultatione. Nunc quum non ab hominibus, neque per homines, sed à Christo ipso, sorte peculiari nobis erudiendis gentibus designatus sit, quantò magis curæ id nobis esse ac cordi conuenit, vt pædagogum discipuli, Gentes Apostolum nostrum audiamus. quatenus in hoc ipsum, vt fatetur ipse, vocatus ac segregatus sit, vt nos illi gentes omni fide ac promptitudine aures præbeamus. Quare agite charissimi, ne nos pudeat præceptoris nostri, quum ipsum adeò non pudeat discipulorum, vt magis etiam munus hoc suum illustret, hócque impensiùs sibi gratuletur, quòd gentium sit Apostolus. Quam tamen appellationem non ita hîc sibi vendicat ostentandi gratia, sed solum functionis illustrādæ necessitate. Neque mirum, aut nouum illud. Incidit enim sæpe in docēdo, quū necessariò *Personæ autoritas.* *Ministerium meum illustrabo. Rom. 11.*

proferenda sit ad fidem rebus ipsis astruendã, doctoris vocatio, & vocationis illustrãda autoritas. quẽadmodũ alicubi apud Galatas cogitur nominis sui titulo pugnare, ac mi-
" nisterij dignitatem aduersarijs opponere. Ecce, inquit, ego
" Paulus dico vobis, quòd si circuncidamini Christus vobis
" nihil proderit. Nec multùm ab hac loquendi figura & hîc abludens Apostolus, quò magis fidem suæ autoritati astruat, de rebus maxime serijs apud nos gentes dicturus: VOBIS, inquit, dico gentibus, quatenus ego quidem sum gentium Apostolus: Ministerium meum illustro, &c.] Audistis de persona doctoris & autoritate. Proximum est, vt de rebus ipsis, quæ toto hoc capite vndecimo pertractãtur, disquiramus. Hæ autem in tria potissimùm capita rediguntur. Quorum primum locum obtinet de Iudæorum reiectione, & Gentium approbatione tractatio: quarum in altera Dei cernitur seueritas: in altera bonitas elucet immensa. Deinde causa, quamobrem reiecti illi, hi verò admissi sunt, exponitur. Tertiò de futura Iudæorum reconciliatione, Gentiumque plenitudine tanquam de arcano mysterio prophetat Apostolus. Atque de reconciliatione posteriùs, donante Christo, videbitur. Interim quod ad reiectionem hanc populi Iudaici attinet, quum multa in eo incidunt non oscitanter prætereunda, tum illa inprimis occurrit cautio, ne quis putet, eos ita à Deo penitus explosos & deploratos esse, ac si nulla omnino spes eisdem superesit reliqua. Tum nec ita funditùs exterminatam vniuersam esse stirpem, quasi nullas sibi ex ea gente reliquias diuina procurarit electio. Quorum vtrumque ab Apostolo refellitur, alterum initio, alterum sub calcem capitis. vbi in hunc videlicet modum exorditur.

Rerum quæ hic tractantur explicatio.

Rom. cap. 11

DICO ergo, nũquid Deus repulit populum suum? Ab-
" sit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu
" Beniamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit, &c. ac si dicat, Etsi maximã illorum partem abs se alienauit Deus, non ita tamen in totum abiecit ille populum suum, vt non idoneum satis numerum reliquum sibi ex ea colluuie fecerit. quemadmodum de Elia legimus, qui

quum solum sese relictum existimaret, restarent tamẽ pręter eum septem millia virorum, qui non curuauerunt genua idolo Baal.

Porrò quod ad eorum, qui desciuerunt, multitudinem attinet, quum multa, vt dixi, in eorum reiectione adnotanda sunt, tum illud inter alia, autore Apostolo, obseruemus, cæcitatem hanc minimè quidem fortuitò ac casu illis accidisse, quasi non præuidisset ista diuina prius prouidẽtia, ac totum etiam negotium certo sapientiæ suę decreto administrasset. Nam alioqui quo pacto Dominus ipse multò antè per Prophetam Esaiam, atque in Psalmis mysticis de obscurandis eorum oculis ne viderent, de dorso incuruando, & de auribus ne audirent aggrauãdis, futura hæc prædicere, ni præsensisset, quo modo præsentire, ni eadẽ vellet, potuisset? Iam verò quum Deus & Natura nihil frustrà, nihil temerè vnquam moliuntur, quò acerbior hæc in Iudæos incubuit numinis seueritas (quid enim grauius quàm ex albo Dominicæ familiæ expungi) hoc grauior causa existat tam acerbæ vindictæ necesse est. Causa autem quæ fuerit, satis dilucidè à D. Paulo exprimitur: OB incredulitatem, inquit. Ex quo quantum sit incredulitatis malum minimè difficilis præbetur æstimandi copia. *Esa. cap. 6. Psal. 68.*

Sed primũ, quænã hæc sit incredulitas, explicandũ est. Cùm incredulitas fidei sit contraria, facilè ex huius finitione, quid sit incredulitas intelligitur. Namque si fides sit impressa mẽtibus nostris Christi filij Dei notitia, qua eum à Deo nobis donatum amplectimur, omnemque in eo fiduciam collocamus: iam eadem opera, quid sit incredulũ esse, p se eminet. Quisquis enim aut in persona alia, quàm in Christo Iesu: aut in re quacunque alia, quàm fide ipsius sola salutis & remissionis fiduciam constituit, rectè incredulus dici poterit. Cæterum vt in fide plures insunt gradus, in alijs siquidem alia plenior & cumulatior, in alijs angustior, in nonnullis forsan perquã tenuis existit: Itidem & diffidentiæ multiplex cernitur in scripturis differentia. Est enim quædam incredulitas, sub qua, tanquam sub cineribus nonnulla occulitur fidei scintilla, licet perexigua. *Fides quid sit.* *Incredulitatis multiplex differentia.*

 Qualis

Qualis in eo notari possit, qui in Euangelio dicit: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Est & incredulitas, quæ tametsi in ignoratione adhuc versetur, multisque agitetur ambiguitatum procellis, tamen quia suspirat, quia esurit, & sitit, cupitque proficere, minimè videtur deplorata. Est præterea incredulitas, quam increpat Dominus, at non deserit, cuiusmodi fuit eorum, de quibus audimus in Euangelio: Et increpauit incredulitatem illorum, &c. Non credidit Didymus referentibus de resurrectione Domini discipulis. Ingens incredulitas, at non deserta tamē. Est ἡ ὀλιγοπιστία, est & ἡ ἀπιστία, fitque nonnunquam vt altera in alterius & nomen & reprehensionem transeat. Meruerunt alicubi & ipsi etiam Discipuli iustam incredu-
Mat. 17. litatis notam, quibus dictum est: O generatio incredula & peruersa. Cœpit aliquando immergi Petrus, nulla alia causa, quàm incredulitatis, at idem Domini porrecta manu emersit tamen. Graue hoc, at multò grauius illud non diffidentiæ solùm, sed perfidiæ etiam exemplum, quādo idem Petrus Dominum non semel atque iterum, sed ter nocte vnica, non abnegauit, sed abiurauit etiam: nec ideo tamen ex ordine Discipulorum submouebatur. Nec dubium est, quin inter multos hodie, qui Christum ore profitentur, admisceant se nonnulli, qui factis eum pernegent, nihil ferè in animo credentes eorum, quæ foris præ se ferunt: Qui tamen quoniam sibiipsis solùm nocent, non Ecclesiæ: in Ecclesia, quam nos visibilem vocamus, consistere non prohibentur. Quid quod venit & illud vsu nonnunquam, vt incredulitatis sese accusare nonnullos videamus, qui fide tamen præstant apud Deum: quum ex aduerso alij quàm minimum se abesse ab incredulitate putent, quorum fides si veniret in examen, nullo fortassis loco consisteret.

Atque hæc hactenus quæ commemoraui incredulorum exempla, etsi in vitio ita sint, vt defendi non possint, at ferri tamen vtcunque possunt. Illud verò omnium teterrimum & atrocissimum est infidelitatis genus, quum in tantam venitur pertinaciam, vt veritatem oculis exhibitam non solùm non agnoscant mortales, sed vltro etiam oculos

culos claudunt, ne videant: eandemque non verbis modò & professione respuunt, sed etiam vi, cæde, & sanguine, blasphemijs & maledictis odiosissimè persequûtur. Atque hæc quidem incredulitas, qua nulla vnquam pestis possit esse capitalior, nescio quo modo Iudæorum maximè omnium propria videtur, & hæreditaria: qui insita quadam malitia & peruersitate, nati quodã modo & cõflati ad odiũ Christi & Christianorũ esse videntur. Eáq; maximè causa factũ arbitror, vt quum Deus tot illis scelera & flagitia tot antè seculis indulserit, eosque tam diu plusquam rebelles & idololatras suo modo eduxerit & tolerauit, iã ampliùs eos perferre, postquã Filiũ suum mactassent nullo modo potuit: quin vniuersam eorũ rempu. ab ipsis reuulsam fundamẽtis funditùs excinderet. Nec iniuria. Nã quî aliter fieri potuit, postquã exhibit⁹ ille sit, cuius vnius causa tota hęc instituta respub. atque incœpta fuerat, quid ampliùs restabat causæ, quamobrem vmbratica Iudæorum synagoga maneret diutius, aut cui postea vsui seruitura? Quid, vt victimis hircorum & taurorum litarent Deo? Atque vbi illud? In vno duntaxat templo? At talibus victimis nec capitur Deus: nec in templis habitat ille, sed in cordibus hominum: nec externis gestibus, aut corporeo cultu delectatur, sed qui spiritu eum colant & veritate, tales quærit ille adoratores. Habebant illa olim obsoleta suum tempus, nec tempus modò, sed & vsum legitimum, quo adumbrandis rebus veris & serijs destinabantur. At postquam adfuerat ille qui verè sanctus sanctorum, qui viuum ac verum Dei templum esset, qui veram iustitiam expromeret, qui æternæ salutis potestatem ferret, Dominusque vniuersorum esset: quid iam vmbris opus erat ampliùs? aut quo modo eos diutius in tanto errore sustineret Dominus, quando non solùm legalibus vmbris suis, præsente iam Domino, in alium finem quàm parabantur, abuti pergerent: sed etiam veram iustitiam in externa harum rerum obseruatione constituebant, falsissima quidem persuasione, nec minùs pernicioso aliarum gentium exemplo, adeóque non sine publico orbis etiam totius periculo. Quod diuina charitas

Carnalis Hierosolyma cur deleta.

ritas non modò præsensisse videtur, sed nec ferendum sibi vllo modo existimauit. Fieret enim hac quidem ratione, vt Iudæorum incolumitas non assumptio esset Gentibus, sed summam illis conflasset perniciem, ex falsa nimirum iusticiæ doctrina. Nunc verò quum Gentibus non potuit aliter via ad veram iusticiã patefieri, nisi deleta carnali hac repub. cum ceremonijs suis & sacrificijs, hinc Deo visum est, pro arcano decreto suo, temporum temperare vicissitudines, vt diminutio Iudæorum Gentium diuitiæ, reiectioque eorum reconciliatio esset mundi. Atque hæc interim de Israelitarum abiectione, quæ si nobis Gentibus in bonum cessit, non est quòd hinc superbiendi illico materiam accipiamus. Vnde nos rectè monet Paulus.

Diminutio Iudæorum Gentium recõciliatio.

QVOD si aliqui, inquit, ex ramis defracti sunt, tu autem quum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oleæ factus sis, noli gloriari aduersus ramos, &c.] Primùm quòd aliquos dicit ex Iudæis, ceu ramos excisos esse ex natiua arbore, satis hinc liquet, reiectionem hanc non in vniuersam gentem, sed in partem duntaxat recidisse. Complures enim extiterunt, quorum & Paulus, cæterique omnes Apostoli fuerunt, præter alias bene multas eiusdem populi reliquias, qui Christum summo studio amplectebantur: denique nec ex alijs magistris hæc ad nos primùm defluxit fidei Christianæ propagatio. Quare non vniuersos ista pertraxit ruina, sed quosdam duntaxat, quos Paulus peculiari vocabulo excisos dicit. Et cur tandem excisos? cur non potiùs excidisse eos dicit? præsertim quum illud in confesso est, Iudæos suo ipsorum vitio & incredulitate concidisse. Et cur igitur tropus hic amputandi magis placuerit Apostolo, vt diceret excisos esse, non ipsos excidisse: detruncatos esse, non corruisse? Neq; enim idem est excindi & excidere. Quæ excinduntur, eadem non excidere non possunt, minimè tamẽ quę excidunt omnia excindi dicimus. Et quid igitur sibi vult hoc excindendi vocabulum? nisi vt intelligamus cœlestem & arcanam Dei manum huic negotio non defuisse. Quæ Oliuam hanc Ecclesiæ suæ miro artificio curat, format,

Excindi. Excidere.

formar, reformat, fulcit, excolit, expolit, temperat non humana voluntate,& arbitrio, sed suo ipsius arbitratu, & inscrutabili sapientia. Quemadmodum in Oliua, cæterisque arboribus plantulæ ac surculi, quum resecantur, aut inseruntur, nulla ipsorum potestate propria hoc fit, sed aliena manu: ita in rebus Ecclesiæ temperandis, si primam quærimus agentis causam, vnde inferiores causæ omnes suum agendi modum & finem ducunt, diuina quædam vis est & arcana electio, quæ singulari dispensatione, quos vult eligit, quos non vult, repudiat, attestante scripturæ voce: Miserebor cuius misereor: & misericordiam præstabo, cui miserebor. Cui accedit Beatus Paulus idem recinens: Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei: Vbi videlicet nihil valet fortuna & casus, nihil præstāt conatus, tum multò minus merita hominum, sed sola Dei electio. Quæ cuiusmodi sit electio, alibi ex eodem audimus Paulo: Reliquiæ, inquit, per electionem gratiæ saluæ factæ sunt, quæ vtique gratia iam non est, si eam vlla merita anteuertant. Siquidem quod datur non secundum gratiam, sed secundum debitum, meritis potiùs reddi, q̃ donari Augustino videtur. At quæret hic aliquis, Gentes an non propter fidem insertæ: Iudæi verò propter incredulitaté ex Oliua reuulsi fuerunt? Quæ res, quid aliud, quàm vtriusque & fidei & incredulitatis merita demonstrat?

Exo.33. ,, ,, *Rom.9.* *Augu. Retract.lib.1. cap.23.*

Quod ad fidem gentiū, & Iudæorū incredulitaté attinet, fateor causas istas aliquo modo extitisse, quæ hominib. quidé proximæ videri poterant, cur admissis gentibus, Iudæi excisi fuerint: at istius tamen fidei & incredulitatis causas adhuc nullas video. Quæ si nobis altiùs perscrutādæ sint, eas non nisi in diuinæ certè electionis decreto positas reperiemus. Vt enim donem⁹ ideò insitas in Oliuā gētes esse quia crediderūt: Cur tamē crediderint, si causa postuletur, nulla in ipsorum meritis omnino fuerat. nihilo magis quā quæ ex Oleastri radice enascuntur ramenta, quicquam in se dignum habent, cur in pinguissimam Oliuam transferri debeant. Nec diuersum de Iudæis iudicium est, quos

Causæ cur exclusis Iudæis, gentes recipiuntur

quum extra natiuam arborẽ detruncatos videmus, si causa quæratur, propter incredulitatem, haud dubium id quidem est: at nondum tamen Paulinæ disputationi id satisfacit. Cùm enim fides Dei donum existat, non ex libero arbitrio, sed sola Dei gratia dimanans, iterum eôdem redit quæstio: Cur adueniente Meschia, magis hoc dono destituti sint rami genuini? An quia vita & meritis præcesserat sterilis Oleaster? Non arbitror. Cur igitur receptis gentibus posthabiti sunt Iudæi? Respondit diuus Paulus. Primũ non omnes reiectos Israelitas esse: Deinde quod ad cæteros illos attinet, quicquid in his gestum sit, singulari Dei præscientia, & consilio minimè id quidem caruisse. Præscientia ex eo liquet, quòd per Prophetas, & in Psalmis, de istorum occæcatione tot ante annos præmonuit Scriptura. Consilium verò ex causa finali clarissimè arguitur, quum huiusce occæcationis Deum non autorem solùm fuisse, sed rationem etiam, quamobrem id fecerit, monstratam accipimus ab Apostolo. Vbi de lapsu Iudæorum differens, atque causas perquirens: QVID ergo, inquit, num ideo impegerunt, vt conciderent? hoc est, quasi illorum ruina delectaretur Deus? Bona verba: sed vt per lapsum illorum salus Gẽtibus contingeret, vtque per illorum incredulitatem, hi misericordiam consequerentur.

Præscientia & consilium Dei in reijciendis Iudæis.

At quęret hîc iterum aliquis, An non perinde Deo facile id fuit, æqué vtrisque, si libuisset, misericordiam pręstitisse? Audi respondentem Apostolum. Imò in hoc ipsum omnes conclusit sub incredulitate, vt omnium misereatur. Quemadmodum in Gẽtes olim ethnicas & infelices longam exercuit seueritatem Diuina potentia, quoad tandem insperata illius misericordia, post longam incredulitatem, disiectis aliquãdo errorum tenebris, eos in beatam Euangelij sui cognitionem traduxerat: haud secus & Israelitarum cognationi, commutatis rerum temporumq; vicibus, euenisse cernimus, vt qui olim primi, nunc postremi fiant, quique olim veram Oliuam, velut vera germina tot continuis seculis possederunt, nũc è sancta radice execti locum dare alijs cogantur, discantque eandem ipsi, quam & Gentes

Obiectioni occurritur.

tes olim, experiri seueritatem: quoad tandem satis edomita eorum superbia, positaq; ceruice, eandem simul cum Gentibus misericordiam, non meritis suis vllis, sed gratuito numinis fauore tandem aliquãdo obtineant, pristinæq; radici suæ restituantur. Quod & Paulus hic mystico velut oraculo, ac faustissimo nuncio futurum polliceri videtur.

Quæ quum ita sint, haud obscurè hinc constare possit, quàm nihil sit vndique in rebus mortalium, quamobrem quisquam sibi vel applaudere, vel alteri insultare debeat, siue in seueritatem Dei, siue bonitatem, oculos cogitationesque defigamus. Nam vtramque nobis spectandam diligenter proponit Apostolus. ECCE ergo, inquit, bonitatem & seueritatem Dei: In eos qui ceciderunt, seueritatem: In te verò, qui fide consistis, bonitatem &c. Ac rectè hoc quidem Paulus. At nos vt rectè duo ista intueamur, opus est accõmodatis priùs à Deo oculis. Sunt enim non parum multi, qui ad obtuitum istarum rerum hallucinantur non parum, siue inscitia, siue negligentia. Quorum in priore classe Iudæi sunt, qui præpostera iudicij seducti opinione, bonitatem ibi interpretantur, vbi summa est seueritas: in altera Gẽtes, quorum multi sunt ad bonitatem Dei cõtẽplãdã plus satis tardiusculi, contrà verò ad seueritatem intuendam acutissimi. Nos de vtroque populo, quantùm Diuina largietur pietas dicemus nonnihil, quò vtrisque prosimus, si licet: aut certè non incommodemus, vt spero.

Seueritas & Bonitas Dei.

Præpostera multorum de seueritate & Bonitate Dei existimatio.

Ac in Iudæis primum satis istud demirari nequeo, quòd quum tot iam annis ac sæculis, diuinæ seueritatis in eos deflagret vindicta, ipsi tamen nec sentiunt calamitatem, nec sæuientis Dei manum intelligunt, neque ab incredulitate resipiscunt: suauissimè sibi abblandientes in re falsissima, regnum sibi pollicentes, quod nunquam promisit Deus: Meschiam expectantes, quem nulli vnq̃ nouerunt Prophetæ. Deniq; adeò in eos erroris inualuit seductio, mentisque cæcitas, vt quum nulla gens æquè existat Deo exosa & hominibus, ipsi solos se præ cæteris quibusq; linguis & populis, in pretio atque in delicijs esse apud Deum, solos

los se illi cōiunctissimos esse, nec posse illius vnquam promissis, eáq; in qua nati sunt Olea, excidere existimēt. Haud multùm dissimili erroris absurditate laborantes, quo & nostri hodie effascinātur Romanenses. Qui quum ipsi sint omnium misericordiæ egētissimi, perinde acsi ipsi soli omnis dispēsandæ misericordiæ promi condi sint, mirū quàm suauiter sibiipsis Ecclesię nomine applaudunt, ob cathedram Petri, quam Romæ fixerunt perennem, firmamq́ue sibi Ecclesiasticæ pręrogatiuæ eminentiam vendicantes, quam nec vetustatis vlla abolebit longinquitas, nec successionis dissoluet interruptio, nec vnquam diuini fauoris gratia destituet. Quid ita verò, si rogem, quid respondent? Nēpe inquiunt, An non promisit Deus, nunquam sese Ecclesię suę defuturum? Quid tū? An non a beato Petro Apostolorum principe claues ad nos hæreditaria hucusq; successione defluxerunt, quas nunquā auferendas pollicetur Domin⁹? Ecquid ampliùs? Quid? an fidē fœderis sui, quod sacra sanciuit promissione frustrarì diuina possit veritas?

Successio S. Petri hæreditaria.

Agè verò, & quid aliud hodie pro se ostentat cæca Israelitarum gloriatio? An non ab autore, aiunt, & parente sanctissimo Abrahamo genus ducimus? An non ab Israele patriarcha Israelitæ nascimur, & nominamur? An non arcam sui fœderis penes nos solos deposuit Dominus? An non Meschiam nobis per Prophetas promisit Seruatorem? An non Meschiæ solium regni prępárauit sempiternum? Qui tot fœderibus suam astrinxit fidem, an idem pręstare non valet, aut nolit, quod est pollicitus? Quanquam equidem non abnuerim in eo nonnihil esse, quod de diuinis promissis vtrique disputant, minimè tamen in eo sita sunt omnia quòd promiserit Dominus. sed mens & ratio promittentis in Scripturis inspiciēda, ac legitimis circumstantijs pōderāda est, si boni velimus esse Scripturarū ratiocinatores, vt non solùm quid ꝓmittat ille, sed quibus, quaq; cōditione & ratione id promittatur, singula ritè dispositéq; definiamus oportebit. Itaque vt vera hæc esse omnia largiamur, quæ de successione Patriarcharum & Apostolorū tantoperè gloriantur, nunquam tamen efficient, solam hāc

ordinariam

ordinariam iuxta carnem successionem satis esse ad constituendam Ecclesiam Dei. In qua si nihil spectemus aliud pręter ordinem duntaxat externum, quis illud non perspicit, iam inde ab initio multa contra ordinem instituta ac mutata á Domino? veluti quum repudiato Cain, Esau, Ismael, Saulo, ad quos iure successionis ordinarię pertinebat sacerdotium, primogenitura, & regni hæreditas, elegit Abelem, Isaac, Iacob, Dauid, ad quos minimè pertinebat ius successionis. Sic deserta Synagoga, contra ordinem Gétes elegit. Neque enim refert adeò, vnde aut quo modo oriatur Ecclesia, modò verbum, fides, & Sacramenta constent integra, quibus ea propriè generatur, & sanctificatur. *Iacob. 1.* *Ephe. 5.*

Quod itaque ad promissiones Dei attinet, simpliciter veras esse haud ambiguum est, sed quas tamen neque loco illigauit Deus, neque personis hominum. Quæ etiamsi essent loco aut personis adligatæ, semper tamen superbi reijciuntur, promissionibus interim manentibus. Sicut Iudæi etsi verè habebant promissiones de loco in Syon, psal. 132. Hic habitabo, quoniam elegi eam. Item apud Esaiam prophetam: Hic caminus & ignis meus &c. Itidem & de personis, quum Abrahæ, eiusque semini promittitur benedictio, at nihilo tamen minus puniuntur a Deo rebelles, incenditur templum, vastatur altare, ciuitas euertitur. Nec minus interim Deus seruat promissiones suas, longè alio modo quàm ratio humana imaginatur. Vnde non abs re clamat alicubi Ieropsaltes in psalmo mystico, & est mirabile inquiens in oculis nostris. Consimilem in modum & de Apostolicæ sedis successione iudicandum statuo, quam si homines nostri circumscribere volunt locorum & personarum limitibus, fiet hac ratione, vt non solùm in sacras literas, sed contra Dialecticam etiam peccent absurdissimè. Plus enim concludunt, quàm est in præmissis. Veluti si quis in hanc formam modúmque arguetetur: Petro eiusq; successoribus promissa est successionis duratio: Romani antistites Petro in cathedra succedunt: Ergo soli Romani flamines Petri sũt successores, soli episcopi vniuersales, soli principes ecclesiæ, quorum fides labascere nunq̃ poterit. &c. *Psal. 132.* *Esa. cap. 31.* *Paralogismus catholicorum.*

Sed

Sed de his Romanensium delirijs, satis à nobis multa alio in loco disputata sunt: nunc ne nimium extra oleas, quod aiunt, ad Paulinã Oleam, eiusque ramos, quoniã de ijs dicere instituim⁹, recurrat oratio. Quorũ alios defractos, alios in Oleã allectos, iam antè ab Apostolo auditũ est. Neq; solùm ab Apostolo. Idem multò etiam ante Apostolũ Propheta testatur Esaias, ex quo loco vniuersa hæc Apostolicæ cõcionis materia videtur deprompta. Audiamus igitur Gentes quid de Iudæis Propheta dicat. Audiant & Iudæi

*Esa.cap.*10. suum de se concionantẽ Esaiam, idem quod & hîc concionatur Apostolus. Ecce, inquit, Dominus Deus exercituum deramificat frondem cum potentia, & excelsæ excindẽtur staturæ, atque sublimia corruẽt, & egredietur virga de radice Iessæ &c. Et ne quid tergiuersentur Iudæi, quasi ad ipsos minùs hæc pertineant, eundẽ audiant non vaticinantẽ,

*Esa.cap.*17. sed digito monstrãtem Iudæos ipsos. cap. 17. Et erit in die illa attenuabitur gloria Iacob, & impinguatio carnis eius marcescet. Et mox, Relinquetur quidem in eo racematio, & sicut in excussione Oliuæ, duo vel tria grana in summitate supremi rami, quatuor aut quinq; in extẽsis ramis eius frugiferis, dicit Domin⁹ Deus Israel, &c. Et alibi rursus. Quoniam sic erit in medio terræ, in medio populorum quasi de-

*Esa.cap.*24. cussio Oliuæ, & quasi racemi quum vindemia consummata

*Cap.*65. fuerit &c. Et adhuc euidentiùs cap. 65. Sic dicit Dominus, Sicut quum inuenitur mustũ in botro, & dicit quis, ne perdas ipsum, quoniam est benedictio in eo, sic faciam propter seruos meos, vt non perdam totum &c.

Ad Iudæos Apostrophe. Hæc quum ita perspicua sunt, vt manibus etiam palpari queant, quid ais infelix Iudæorum gens? quid habes? quid affers quod tuæ prætexas pertinaciæ? Scripturas? at nihil contra te pugnat infestiùs: quippe quæ non modò in os tibi manifestè reclamant, sed insuper cæcitatem hanc ipsam, quæ tanto tempore te possedit, iam multò antè denunciarunt? An promissiones Dei & pacta iam olim tecum inita allegabis? At quid vnquam promisit ille tibi aut tuis, nisi in semine quod tu fastidis tam indignè? Et tamen pergitis post hæc Meschiam nescio quem vestrum expectare.

Quid

Quid ille an non diu ſatis eſt à maioribus veſtris expectatus, qui eum bis mille annos priuſquam venerat, præſtolabantur? Agè & poſt iſta omnia quouſque tandem expectabitis miſeri, toties non à Deo ſolũ deluſi, ſed etiam ab omnibus mundi nationibus irriſi, quum omnes videant in Chriſto iam olim completum eſſe, quicquid de Meſchia prædixerant Prophetæ veſtri? quúmque ex tota Euangelij hiſtoria diſcere liceat, non alium eſſe Chriſtum, q̃ quẽ nunc totus colit orbis? Sed iſtud fortaſſis animos vobis attollit, quòd ex tantis maioribus longas ceras & ſtemmata trahitis: quòd ex Abrahamo, ſanctisq; patriarchis genus & originem ducitis, eáque cauſa cæteras nationes, tanquã fruſtra à Deo conditas nihili penditis. Id verò qua fide, qua ratione facitis modò excutiamus. Quòd ſi autem tanti id eſſe vobis videatur, ex radice Abrahami longo nominũ catalogo genealogias numerare, quid, an non Iſmael, Eſau, Saul, an non Dathan, Abyron, reliquáque Hebræorum colluuies illa, quæ Moſi obnitebatur, deniq; an nõ permulti apud vos impij reges, pſeudoprophetæ, & ſacrilegi idololatræ eundem ipſum generis autorem habuerũt, quo & vos gloriamini? Ex quo dilucidum eſt, externam hanc naturam, & carnis proſapiã haud perinde multũ ad rem facere: ſed aliud eſſe, quod verè filios Abrahæ apud Deum efficiat. Ad hæc, ſi de genere gloriari liceat, quid de Chriſto ipſo quem colimus, Dei filio exiſtimandum? cuius ſi paternã ſpectetis radicẽ, non ex homine, ſed ex Deo deſcendit: ſi maternam, ex eadem profectus radice vnà vobiſcum eiuſdem Abrahæ filius erat ſecundum carnem, cuius & vos filios ſecundum carnem venditatis. Et quur igitur eum auerſamini tã immaniter? cur fratres fratri veſtro inuidetis tã miſerè? Iudæi cur Iudæũ contribulẽ veſtrũ tam virulenter inſectamini, cur interemiſtis tã crudeliter?

Futilis Iudæorum gloriatio de generis nobilitate.

At quid ille tanto odio & liuore veſtro dignum admiſit vnquam? An quia Dei ſe filium profitebatur? Quanquam nũq̃ ille niſi modeſtiſſimè de ſe prædicabat: nec ſupra hominis filium eius vnquam ſurgebat oratio: tamen ſi idem filius Dei non fuerit veriſſimè, vos patrem

Iudæi cur tanto odio flagrent aduerſus Chriſtum cauſa nulla reddi poteſt.

 eius

eius in terra alium ostendite, totamque Euangelij historiam mendacij, si potestis, arguite. Quid? an Apostoli illius vnquam & sectatores, qui ijsdem pariter temporibus cum illo, cum matre, matrisque marito versati sunt, & testes & conscij omnium, quæ gerebantur, támne illi stolidè vnquam insanijssent, vt in eum crederent, salutis fiduciam in illo statuerent, tot vitæ pericula subirent, mortem denique tanta cum constantia, illius causa oppeterent, non verbis, sed sanguinis certissimo astruentes testimonio, quod compertissimè exploratum habebant, si nihil in eo supra hominē, nō diuinitatem in eo corporaliter habitare perspexissent? Sed vt parùm hæc apud vos fidem inueniant, quid illa tot tantáque in eo stupendæ virtutis argumenta, καὶ παραδοξοποιΐαι, quid tanta diuinitatis vis, tanta miraculorum potestas, non ab ipso solùm, sed à discipulis quoque, nomine ipsius ædita, atque etiamnum in ecclesia subinde eiusdem nomine commonstrata? tanta in verbo maiestas, in vita innocentia, in vaticinijs certitudo, adde his porrò prodigijs tam stupendis, plusquam stupendam resurrectionis gloriam, ineffabilem in cælos conscensionem, è cælis deinde demissa spiritus sancti charismata, quid hæc, inquam, in illo tam multa, planéque diuina, nisi singularem quandam omni humana maiorem potentia diuinitatem prædicant? Quæ omnia tot confirmata testibus, tot oculis spectata, tot denique hominum Iudæorum manibus contrectata, ac literarum tabulis consignata, nobisq; gentibus à vobis ipsis Iudæis magistris & doctorib⁹ profecta, si vobis nunc ficta ac incredibilia videantur, quin eadem ratione prophetas etiā vestros omnes, patriarchas, legem, ac psalmos mendacij arguite, quippe qui vniuersa hæc quæ hîc gesta sint, tot antè sæculis futura prænunciarunt. Mendax ergo sit Propheta Esaias,
Esa.cap.35. qui cæcis, claudis, mutis, mutilis, sanitatem pollicetur, qui
Cap.43. struthionibus & bestijs agri venenatis laudem & gloriam obnunciat, vinctis libertatem, clausis apertionem, ie-
Cap.61. iunis saturitatem, lucem ijs, qui in mortis vmbra sedent,
Cap.9. locis natura squallidis & inculta vastitate desertis campe-
Cap.42. strem

ſtrem fertilitatem promittit, fluminibus ariditatem, Iudæis cæcitatem denunciat. Mendax ſit Oſeas Propheta, qui populo, qui populus non erat, vocationem & miſericordiam diuino afflatu ominatur. Mendax ſit Ionas Propheta, & Elias cœleſtis ille auriga, quorum ille reſurrectionem Domini poſt mortem triduanam, hic aſcenſionem in cœlos, & donaria ſui ſpiritus ex curru triumphali & clamyde demiſſa prophetat. Tum inſuper poſt hæc omnia mendacij arguatur Ioannes Propheta, & pluſquam Propheta, qui non voce ſolũ, ſed digito etiam agnum Dei Liberatorem deſignauit. Denique mendax ſit vniuerſa Scripturæ propheticæ autoritas, cuius ſi maximam ſpectemus partem, quid aliud illa, quàm prænuncia quædam videtur eſſe eorum omnium, quæ in Euangelica narratione commemorantur?

Reſurrectio Chriſti à Iudæis negari non poteſt.

Breuiter ſi tanta animos veſtros obſidet cæcutientia, vt quæ meridie clariora, orbique notiſſima exiſtunt, vobis ceu paradoxa incertáque adhuc videantur, neque poſt tot reſurrectionis Dominicæ teſtimonia in Dominum è mortuis rediuiuum credere nobiſcum velitis, quin ergo eundem nobis, ſi poteſtis, mortuum proferte, aut minimam totius corporis portiunculam oſtendite. Aut ſi iſtud à vobis minimè poſtulandum videatur, ſaltem maiores quur nunquam oſtenderunt veſtri? Quòd ſi neque à vobis, nec ab illis quidem fieri vnquam potuit, id igitur, quod neceſſe eſt, ſi non religio, at ratio impetret, vt reſurgentem velitis pariter nobiſcum colere, regnantem adorare, aſſidentem Domino à dextris ſuſpicere. Quid ceſſatis? An non æquum poſtulo? an non rectè conſulo? Iterum, quod dixi, repeto, quò mentibus non auribus ſolùm veſtris tenaciùs inſideat.

Talui hebraicè, ſuſpenſus.

Si filius Dei non fuit, ſique nihil aliud, quàm hominem fuiſſe mortalem cẽſetis, quẽ obtruncaſtis, quem vos Talui probroſa appellatione dicitis, quin mortuũ igitur reddite, aut reddant ſaltem cuſtodes, quos ſepulchro tam ſolicitè adhibuiſtis? Si nequeãt, quid ſepulchrũ hoc vacuum, quid cuſtodes adhibiti, deluſi, ac territi aliud vobis teſtantur,

Esa. cap. 9. quàm Meschiam, velitis, nolitis, esse, ac Dauidici regni heredem in æternum iam viuere, qui superior omni mortis conditione, super soliũ Dauid patris sui sedeat, vt disponat, atq; administret illud in iudicio & iusticia a modo vsq; in omnes æternitates? Quid hîc mihi vestra obmurmuret pertinacia expecto. Primùm custodes illic adhiberi non solent, vbi periculi nihil metuitur. Cur autem in mortuo hoc metuerent patres vestri, cur in illo magis quàm in alijs, causam ipsi vobiscum appendite. Quanquam de hoc non contendo admodum. Illud quæro, Monumentum illud militari satellitio custoditum atque obsignatum tam diligenter cur mox vacuum repertum est? Nempe dormitantibus ac altũ stertentibus militibus clàm adreptasse discipulos dicetis, ac corpus Iesu suffuratos. Agè, & quis interim hos vidit discipulos dormiẽtib⁹ vestris illis excubitoribus? Qui si sopore tenebantur, qua fide aut fronte illos hoc vidisse contenditis? Sin verò viderint, cur armati inermibus non restiterunt? cur furtum hoc discipulis posteà obiectum non est à vestris, quum docentes quotidie in templo cernebantur? O prodigiosam mentiendi malitiam! quasi verò non saxum hoc maius esset, quàm quod à paucis moueri, aut remoueri vllo modo non sentientibus militibus potuisset. Agè, & cur furunculi isti post patratum latrocinium, non in fugam illico effusi sunt? cur manere in oculis ac manibus hominum atque in templo ipso docere sunt ausi? Imò vt quod verum sit dicam, quis vnquam hoc de resurrectione Domini mundo persuasurus erat, ni maiorum vestrorum impia diligentia hoc ipso argumento magis procurasset fidei nostræ certitudinem?

Resurrectionis probatæ certitudo

Ad hæc tam per se certa & luculenta, tot conuicta testibus, tot Prophetis demonstrata, tot miraculis, argumentis, & euidentijs comprobata, nec Angelis solùm, sed ipso Dei spiritu cœlitùs confirmata, ac fide omnium gentium recepta, quid vobis iam restat, viri Hebræi, quod contrà mutire liceat? Qui si nunc Meschiam intelligitis, quin ergo posita rebellione pariter nobiscum profi-

profitemini. Sin nondum agnoſcitis, quid igitur in illo vos
offendat, ac rationes conturbet veſtras, exponite. Num
quia pauperem hic vitam cum pauperibus coluit? At talem
cum futurum iam ante vos premonuerat Zacharias. Ec-
ce, inquit, rex tuus veniet tibi iuſtus, & ſeruator, ipſe pau- *Zach.cap.9.*
per, & aſcendens ſuper aſinum & cæt. Et certè talem eſſe „
oportuit, qui reiectis ſuperbis & diuitibus huius ſęculi
ditandis pauperibus venturus erat.

Quid? an quia humili, & deſpicabili habitu hic viſus
eſt, ac contemptui à vobis habitus? At talem depingit
Eſaias capite. 53. Aſpeximus, inquit, & non erat illi ſpeci- *Eſa.cap. 5*
es. Deſpectum & nouiſſimum virorum reputauimus e- „
um & cætera. Aſpexiſtis igitur deiectum, atque infra
omnes homines depreſſum, quem faſtus veſter faſtidi-
uit. Accipite nunc in hac deiectione magnificentiā pluſ-
quam regiam, quam omnes admiremini: Verè languo- *ibid.*
res noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. De „
anguſtia & iudicio ſublatus eſt, generationem eius quis „
enarrabit? in ſcientia ſeu cognitione ſui iuſtificabit iu- „
ſtus hic ſeruus meus multos, quia iniquitates eorum ipſe „
portabit. Et voluntas Domini in manu eius proſperabi- „
tur, fortiumq́ue ſpolia diuidet. Super ipſum continebunt „
reges os ſuum. Pauperem itaque vidiſtis & attenuatum *Humilitas*
iuxta carnis ſpeciem: qualem & Euangelica deſcribit *Chriſti.*
hiſtoria. At itidem niſi pauper fuiſſet calcatúſque à vo-
bis, Meſchias non eſſet. Ac talis quidem olim ille iuxta
humanitatis diſpenſationem videbatur, priuſquam parta
illi eſſet in cruce poteſtas regni. At mox accepto regni
ſolio, qualis quantúſque nunc ſedeat, quanta circundatus *Maieſtas &*
maieſtate, teſtetur myſticus ille pſaltes qui in ſpiritu Do- *gloria Chri-*
minum ſuum, ad dextram Domini conſidentem adſpexe- *ſti.*
rat: teſtentur & ij, qui rei geſtæ ſpectatores αὐτόπται,
quē ille in ſpiritu, ī carne iſti ὀφθαλμοφανῶς in cœlum
euntem viderant, ſimulq́ue adſidentem ad dextram ma-
ieſtatis ſunt contemplati: quin inſuper teſtētur hi, quorum
internis ſenſibus cœleſti energia affulget ille, ſeſeq́ue pa-
tefacere dignatur quotidie. Atque vtinam idem vo-

 bis

bis etiam oculos aperiat, vt quæ gloria sit regni ipsius, & magnitudo regni cernere aliquando liceat. Interim istud vobis vtcunque licebit, saltem ex vmbris & notis scripturarum, veritatis ceu vestigia subodorari, nisi oculos vltrò claudere ad manifestam rerum euidentiam malitis. Primùm Dauidis regno quid augustius? at eodem rursus, dum adhuc opilio in pascuis versaretur, dum sæua persecutione sursum deorsum iactaretur, quid angustius? Ioseph quo tempore oppressus à fratribus in duro squallebat carcere: Abraham, quum è terra sua emigrare, relicta cognatione & domo patris sui iuberetur: Iacob donec sub Laban conduplicatam sustinuit seruitutem: Moses, quo tempore ab exilio ad ducatum diuinitùs euocaretur, è quanta rerum omnium nuditate in quãtam isti omnes emerserũt amplitudinem? Nam in his quid aliud, quàm imaginem filij Dei spiritus sanctus adumbrare voluit? Quanquã quod ad externam tenuitatis speciem attinet, quid Christo in paupertate hac defuit vnquam ad victus cultusque necessitatem? Imò quid potuit vllo modo deesse illi, qui paucissimis paniculis tot hominum millia in vasta saginarat solitudine? Aut quo modo pauper is dicendus, cuius verbo atque imperio parebat cœlum & terra, mare ac venti, vita ac mors, vniuersa denique obtemperabant elementa?

David, Ioseph, Iacob, Abraham, Moses, præcursores Christi.

Paupertas Christi.

Sed scrupum fortassè vobis ingerit, quòd Nazaræus sit appellatus, quum ex Bethlehem Dauidis ciuitate Meschiam proficisci oportuit. At si natus ille non sit in Bethlehem, ipsa loquatur rerum temporumque historia, audiantur Angelorum, pastorum, magorum, matris, Iosephi, atq; Euangelistarum testimonia: prætereà quorsum Bethlemitarum paruulorum cædes illa infanda, autore Herode, designata est, intactis atque illæsis Nazarenis infantibus, nisi quòd ex ciuitate Bethlehem prodijsse regem illum Iudæorum, Herodes rex iam tum persensisset? Quid ergo? an quia mortuus, id vobis parit offensionem? Quid audio? & vos Meschiam expectatis, qui nunquam sit moriturus? At quo pacto Meschias hic populum suum Iacob redimet

Iesus Nazarænus.

Mors Christi.

ab iniquitate, quum clarissima scripturæ voce & exemplis, nulla fit peccatorum remissio sine morte & sanguine? Breuiter si mori Meschiam non oportuisset, mentiti sunt prophetæ: Mentitus Zacharias, Daniel, Dauid, Esaias, qui non mortem solùm, sed mortis etiam causam disertè enũciant. Sic enim in Daniele expressum legimus: Vt finem, inquit, accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, capit. 9. Et mox in eodem pergens capite, occisum iri Christũ dilucidè profitetur. Consimiliter & Esaias, Si posuerit, inquit, animã suam pro peccato, &c. Idem & Moses nõ obscuris indicijs, & sacrificiorũ ritibus præsignat. Quid quod Esaias propheta non causam modò, sed genus etiam mortis, sputa, flagella, liuores, vulnera, alapas, conuitia: Zacharias transfixionem: Dauid manus perfossas ac pedes, acetum, ossium denudationem, vestium partitionẽ enumerat: Moses etiã crucis stipitem in æneo serpente indicat.

Daniel, cap. 9.
Esa. cap. 53.
Zacharias.
Moses Numer. 21.

At obstrepet hîc iterum vestrum aliquis. Et quo pacto Christus æternus in scripturis dicitur, si occidi oporteat? Hunc nodum nemo discutiet meliùs Dauide Propheta, in Psalmo mystico: Non relinques, inquit, animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Quum animam audis in inferno positam, mortuum ac sepultum intelligis. Rursus quum è sepulchro redeuntem conspicis, æternum vides, omniq́ue liberum corruptione. Ex quo vtramque cernis in vna persona conditionem, vt idem & æternus, simul & mortalis existat. Quorum in altero humanæ naturæ infirmitas, in altero resurrectionis gloria elucet. Quid, & vos præter hunc alium adhuc Meschiam æternum expectabitis? Ridiculum, quasi quum aduenerit verus Meschias vos eum recepturi sitis. Id quod vestri ipsorum prophetæ planissimè negant. Alioqui quid illud vult, quod è Psalmo legitis? Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. At quinam isti qui ædificantes intelliguntur, nisi vos ipsi Iudæi? Quis hic lapis est, nisi Meschias? Quem si vos tam diu expectabitis, donec admissuri sitis,

Psal. 15.
Psal. 117.

 ita

Frustrà Iudæi Meschiam suum expectãt. Qui si verè Meschias sit, nũquam eum recipiẽt: sin falsus, nihil eis proderit.

ita fiet, vt vestra nullum inueniat finem expectatio: quandoquidem nunquam illius qui verè Meschias sit, aduentum, iuxta prophetas vestros suscipietis, quin semper à vobis alius atque alius expectabitur. Qui si communi approbatione vestra admittatur, verus certè Meschias esse non potest. Sin repudietur, quando tandem expectare desinetis?

Malachi Cap. 3.

Iudæi qualẽ expectãt Meschiam.

Ad eundem modum & ante Christum natum, à maioribus vestris iam olim Meschias expectabatur, qui postquam reuera adesset, venissetque in templum sanctum suum Dominator ille, quem quærebant, & Angelus testamenti, quem volebant, sui tamen non receperunt eum. Quid ita? Quia alio modo eum expectarant, quàm promiserant Prophetæ. Illi humilem, pauperem, deiectum præcinuerunt. Isti prædiuitem quendam satrapam, & terrenum Principem regio strepitu & satellitio conspicuum expetebant. Prophetæ agnum pollicebantur, & pacificum, cuius nè vox quidem in plateis audiretur. Isti leonem & bellatorem voluerunt. Illi cæsum, afflictum, immolatum annunciabant, qui non armis, & bellicis copijs, sed qui sanguine suos vindicaret, non à Cæsaris imperio, sed à iure peccati & mortis, à diaboli tyrannide, quo regnum assequerentur cum suo duce, non huius mundi quod caducum est, sed cœleste, quod finem nescit. Contrà isti omnia mundi huius opibus metientes, aut alium, aut aliter ad se venturum ducem existimabant. Vnde inanissima sua frustrati expectatione verè cœlestem Meschiam suum neque agnoscere, nec amplecti potuerunt. Nec mirum, si minùs eũ hoc modo reciperent, quũ Prophetæ hostes eos omnium grauissimos Meschiæ futuros, ac necem etiam illi molituros, clarissimis oraculis, ac vmbrarum inuolucris præfigurarunt.

Sic Abelis sanguis à fratre parricida profusus: Iosephus fraternis insidijs circumuentus, ac per Iudam fratrem diuenditus: Agnus phase in ædibus ipsorum concisus atque exesus, qui eiusdem sanguine sunt liberati: Moses toties à suis reiectus ac fastiditus contribulibus:

Dauid

Dauid rex non modò à Saulo, sed quod indignius est, à domesticis suis & subditis, & propinquis, & ciuibus indignissimè impetitus, quid aliud nobis quàm Meschiam à suo ipsius populo occidendum clamitat? Quid lapis ille offensionis apud Esaiam, & petra ruinæ duabus domibus Israel, in laqueum & tendiculam habitantibus Ierusalem aliud indicat, nisi Dominum ipsum scelere suorum occubiturum? Alioqui quur petra dicitur, ruinæ & offendiculi, si nihil in eo foret, in quo impingerent aduersarij? Vt alia transmittam horrenda contra gentem vestram Prophetarum vaticinia. Deuteron. capit. 31.32. Esai.cap. *65.66*. atque ex alijs alia. Euoluat, qui volet Malachiam, & Zachariam prophetam, attentè modò & diligenter, quid eius tota ferè concio aliud, atque Dominicæ passionis historiam describit: idque tam graphicè, vt vix quicquam prætereat, quod ad scenam pertineat huius tragœdiæ. Non asinæ insidentem regem ipsum, dissipantem arcus belli, loquentem pacem Gentibus, vinctos emittentem de lacu in quo non est aqua, cuius potestas à mari vsque ad mare, à fluminibus vsque ad fines terræ: exuscitantem filios Israel super filios Græciæ: Non argenteos proditionis, quibus appendebatur Dominus: Non vulnera confixi corporis: non plagas in medio manuum inflictas: non dispersionem discipulorum percusso pastore: non diffractam in tres partes ciuitatem, quarum tertia solùm relicta sit incolumis, seruijtque Domino, sic tamen vt & ipsa per ignem probanda deducatur: non debellatam per gentes ciuitatem Ierusalem, non dissolutas ædes & dirutas, non violatas mulieres: non veli rupturam, sub montis olíueti titulo: non eclypticam eius diei caliginem, in qua passus est Dominus, Et erit, inquit, dies vna, quæ nota est Domino, non dies neque nox, & in tempore vesperi erit lux: Et erit in die illa exibunt aquæ viuæ de Ierusalem, medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouissimum, in æstate, & hyeme erunt. Et mox capite eodem de pendente in cruce Seruatore prophetans: Et erit in die illa, quod super frenum equi est, sanctum Domino,

Esa.cap.8. *Malac. cap. 1.3.4.* *Zacharias Propheta.* *Cap.9.* *Cap.11.* *Cap.13.* *Cap.14.* *Ibid.*

mino, & lebetes in domo Domini, quasi phialæ coram altari, &c.

Ad hæc tam splendida & luculenta quid modò respondebitis? aut quę fiducia vos manet reliqua, aut quibus tãdem in rebus sita? An ad vetera illa & obsoleta lẽmata vestra recurretis? Nos semen Abrahæ sumus, nec cuiquã seruiuimus vnquã. Errare, perire nõ possumus. Habemus sanctos patres generis autores. Habemus radicẽ sanctam, Deũ habemus in quem credimus, legem Dei in qua enutrimur, templum, sacerdotium, cultus, ceremonias nobis commissas: Prophetas habemus & prophetarũ ꝓmissiones, quibus fidimus. Imò hæc olim habuistis, nunc perfidia vestra amisistis omnia. Patrem olim habuistis Abrahamũ, cuius nomine gloriamini. At eundem simul vobiscum parentẽ habuit Esau, Ismael, Saul. Atque hic idem heros ille tantus, quem patrem ducitis, si vel iam adesset, aut Christi tum temporibus vixisset, vestrosque insanos tumultus illos & nefarias molitiones odio ac liuore cõflatas, si probra, contumelias, furores, si vim & tyrannidem vestram, nullaque causa excitatam, nec vlla crudelitate satiatam malitiam in illudendo, & occidendo Iesu mitissimo Dei filio, Domino gloriæ potentissimo, tot beneficijs de vobis benemerito adspexisset, audissetque furenti rabie debacchantes, & vociferantes, Crucifige, crucifige eum: Sanguis eius super nos & super filios nostros: Et non habemus regem nisi Cæsarem. Porrò neque sic expletam intemperiem vestram, sed in persequendis illius discipulis, in crucifigendis Christianarum gentium infantulis æstuantem malitiæ vestræ sæuitiam, reliquaque horrendæ impietatis vestræ facinora, cædes, conspirationes, furores, atque amentias, hæc, inquam, si optimus ac mitissimus Patriarcha vel nunc audire, vel spectare tunc oculis illis potuisset, quibus olim viderat Christi diem, & gauisus est, an vnquam ille vos pro filijs haberet? aut generis sui talia vnquam agnosceret genimina? Imò ecquis dubitet, quin cum Baptista potiùs genimina vos viperarum, aut Satanæ filios

Paruuli christianorũ liberi in Anglia crucifixi per Iudæos an. 1189. an. 1141. Norwici.

filios cũ factis istis, quàm maxima possit voce clamitaret, modisque omnibus detestaretur.

Sed in Deum creditis, quem vnũ colitis & veneramini. Idem & Turcæ, Saraceni, Mauri, & Scythæ vobiscum faciunt. Et quæ hodie tam effera natio est, vbi Deus non vnus agnoscitur & colitur? Sed quid hoc ad rem, quantumlibet summi numinis cultum præfertis, si interim, quos ille ad vos mittit legatos ac nuncios affligitis, prophetas occiditis, Apostolos & Martyres & præcones opprimitis? Denique vnigenitum Dei ipsius Filium vnicè charissimum, omnibus tormentorum generibus diuexatum, in summum Dei vestri dedecus morte probrosissima affecistis? Qua fronte Deum vos Patrem iactitatis, cuius sic dehonestastis Filium? Quid hoc ad rem, quamlibet Deum habere videamini in Patrem, si vos ille non habeat in populum suum? Populus autem Dei nulla ratione existere potest, nisi in Christo Filio. Quòd si nondum intellexistis, quid quæso verba illa volunt Oseæ, aut de quibus dicta? Quia vos non populus meus, & ego non ero vester. Et erit in loco vbi dicetur eis: Non populus meus vos, dicetur eis, Filij Dei viuentis. Legem Dei tenetis mordicus, & contra legem Dei, quem vnum tota Lex annunciat, post tot ædita miracula, & benefacta, contra ius & fas, nulla reperta mortis causa in crucem distendistis. Ore gloriamini de circumcisione carnis, & mentem habetis incircumcisam. Dicitis vos seruare Sabbatum Domini, dum quiescitis corpore: at Sabbatum Domini est animum habere tranquillum ab omni inuidentiæ & malitiæ strepitu. Hoc Sabbatum assiduè violatis, tum autem impijssimè, quum Dominum ipsum interemistis, nec dum ab hac conquiescitis malitia. Ore tenetis literam legis, & spiritum legis abnegatis. Clamatis Templum Domini, Templum Domini, & Ecclesiam, verum Dei templum execramini. Victimas, sacerdotium, ritus & cæremonias magnificam religionis speciem præ se ferentes miro supercilio venditatis.

Oseas cap. 1

Præpostera Iudæorum religio, & crudelis malitia.

Atque externa quidem ista locum aliquando & tempus suum

ſuum habuerunt, minimè in hoc tamen comparata, vt æterna forét, ſed vt vmbrã ferrent rerum potiorum. Quemadmodum & regia Dauidis, totúmque populi Iſraelitici politeuma, nihil aliud hæc omnia quàm regnum Chriſti ſempiternum deliniarunt, erántque rudimenta, quæ mentes contemplantium ad ſuperiorum rerum expectationem euocarent. Ita quod deſignatum erat in Dauid, vidimus expreſſum in Rege nouæ Hieroſolymæ, quæ eſt Eccleſia. Quod in Abele, quod in Noah, in Abrahamo, Melchiſedech, Ioſeph, Moſe, Aarone, Ioſuah, Sampſone, Dauide, Elia, Iona, Ieſu ſacerdote magno, in agno Paſchali, in æreo ſerpente, in petra, in Manna, in Pentecoſte: Breuiter quicquid in vmbra ac typis geſtum eſt, agnoſcimus & in corpus conueniſſe. Corpus verò erat Chriſtus, qui & finis eſt totius legis. Itidem & ſacrificia & ceremoniæ, & cultus templi legales, nihil in ſe ſolidum continebant, at vmbræ præcedebant rerum excellentiorum. Alioqui quis non videt, Deum in templis manufactis non habitare? non hircorum aut taurorum ſanguine emundari conſcientias à peccatis. Iſtæ victimæ tantùm vmbram gerebant veræ purificationis. Quid illud? quum in Phaſe veſtra agnum anniculum & illibatum mactare per familias iuberet propheta, vóſne tantam in ſanguine pecuino vim ſuſpicamini, quæ è tam dira ſeruitute liberatos in promiſſionis terram lactifluam transferre potuerit, ſi nihil in eo grandioris myſterij ſub literæ cortice reconderetur?

Finis legis & prophetarum & typorum Chriſtus.

Promiſſiones Prophetarum.

Supereſt de promiſſis nunc prophetarũ vt exequamur, quibus fiditis tantopere & gloriamini, quũ nihil obnixiùs veſtram oppugnat incredulitatem. Quod quò euidentiùs conſtare poſſit, ex verbis ipſis & ſententijs prophetarum, tanquam in propria harena, veſtriſque maximè armamentis, vos adgrediar. Sicque adgrediar iuuante Chriſto, vt ex prophetis non omnibus omnia promiſcuè congeram quæ licet, & quæ infinita ſunt: ſed ex certis præcipua hinc inde teſtimonia, tanquam tela arripiam: quæ vos non tam numero, quàm pondere ipſo premant, ſicque premant, vt ea nec tergiuerſando eludere, nec inficiando effugere, nec literali

terali vlla interpretatione fucare, aut distorquere, etsi velitis, vt soletis omnia, vllo modo vobis liceat, quin aut volentibus persuadeant, aut inuitis veritatem necessariò è manibus extorqueant.

Atque vt ab Esaia primùm exordiar : quid verbis istis prophetæ cap. 9. respondebunt omnes Hebræorum filij? *Esa.9.* Quoniam iugum oneris eius, & virgam humeri, & sceptrũ ,, exactoris eius contriuisti, sicut in die Midian.] ,, Magnificam audistis prophetæ promissioně, qua ingentem victoriæ triumphum ijs, qui ambulant in nocte tenebrarum & in vmbra mortis sedent pollicetur, futurum videlicet prænuncians, vt ruptis vinculis diræ captiuitatis, excisóq; seruitutis iugo, in lætissimã libertatis aurã sint emersuri aliquando. Agè, & quibus hæc promittũtur? an Iudæis solùm? An non & gentiũ etiã Deus est? aut quibus tandě modis hæc parabitur victoria? num vi aliqua externa, aut tumultu bellico? At id negat propheta, mox subijciens in hæc verba: Quia omnis, inquit, hostilis deprædatio cum ,, tumultu & volutatione vestimenti in sanguine erit in cõ- ,, bustionem, & deuorationě ignis, &c. ,, Sicut in victoria Gedeonis contra Madianitas nihil præstitit humana vis & fortitudo, sed sola Dei manu, & præsentia Gedeonis confectum est stratagema : ex hac similitudine depingere nobis videtur propheta insignem quandã victoriam & libertatem, non humana ope, sed diuina manu comparandam. Quæ sublata è medio omni prorsus bellici tumultus violẽtia, pacě mortalibus perpetua cũ libertate firmam ac tranquillam conciliabit. Agè, quando igitur aut qua tandem ratione continget tanta hæc felicitas? Respondet propheta : Ex pueri, inquit, natiuitate, & ex filio nobis donato. ,, Quoniam, inquit, puer natus est nobis, & filius datus est ,, nobis, & factus est principatus super humerum eius, &c.] ,, Tanta Filij huius dignitas, ea naturæ maiestas est, ex tãto producta Patre, vt hunc ipsum vel accepisse sat sit ad omně felicitatis perfectionem. Quid enim excellentius? quid ad eluendam omnem naturæ nostræ miseriam, tollendãque bellorum materiam efficacius, quàm filium Dei in naturæ nostræ

Loc⁹ Esaiæ cap. 9. explicatus. nostræ consortium accipere, tantæ maiestatis principem, vt non natus ille imperio gerendo, sed nasci potiùs cũ ipso imperium videatur. Factus est enim, vt ait ille, principatus super humerũ eius, non magno aliquo ipsius labore acquisitus, sed cum vita simul adnascens, adeoque ab ipsis crepundijs impositus illi in humeros, tanto sublimior cunctis huius mundi imperijs, quanto rex ipse excellentius præ cæteris quibusque principibus nomen obtinet. Nomen autem principis si scire gestis, exponet mox idẽ propheta: *Puer natus est nobis, &c. cap. 9.* Vocabitur, inquit, nomen eius Consiliarius, Deus fortis, Pater sęculi, seu æternitatis, Princeps pacis. Multiplicatio-" ni principatus eius, & pacis non erit finis. Quum audis regnum pacis & patientiæ, regnum audis & regni genus lõgè diuersum à regno mundano. Nunc accipe regis istius " certam sedem & patriam: Super solium Dauid, & super " regnum eius sedebit, vt disponat & stabiliat ipsum in iudi-" cio & iusticia. Vbi iudicium intelligis & iustitiam, excluditur tyrannis cruenta. Nunc regni accipe perennitatem: Ab " hoc tempore, inquit, & vsque in sempiternum.

Locum hunc Prophetæ de relaxando oneris iugo, de comprimenda virga exactoris, ecquis vnquam ita detorquere possit, etiamsi velit maximè, quin necessariò competat in tempus Christi, Filij Dei in quem credimus, qui ex Deo Patre natus, datusque sit nobis in principem sempiternum? Etenim quis regem pari vnquam prosapia, vita tam inculpata reperiet, qui moriendo mortis perfringere tyrannidem, ipseque post mortem reuiuiscere in immortalem regni gloriam potuerit, præter vnum Meschiam hunc quem toto nunc orbe celebramus? Agè & quid hîc contrà mussitabunt è suo Thargum Thalmudici isti glossatores? Si iugũ hoc onerosum referunt ad tẽpus Senacherib: At is iugũ hoc oneris, & exactoris sceptrũ nunquã Iudæis imposuit, volebat tantũ imponere. Sin ad captiuitatẽ referũt Babylonicam. At non potest istuc vlla ratione cõgruere. Etsi enim Cyrus ille Babyloniæ rex pro eximia sua erga captiuos Israelitas benignitate, liberos in patriã remiserit, at iugũ hoc tamen propheticũ propulsare, pacemq; nullo fine inter-

interrumpendam firmare nunquam valuit, quippe qui & ἀλλογενὴς esset, nec solium Dauidis patris sui vlla vnquã cognatione attingebat.

Porrò quòd de tollenda hac inter mortales belligerãdi insania, quòd de regno pacis,& regni æternitate prædicat hîc Esaias, quis non videt non posse ista ad externã vllam captiuitatem vestrã accõmodari, quũ nihil in hoc mundo perpetuũ nec publicè nec priuatim existere vel ipsimet nõ denegabitis, quippe qui diem mũdi nouissimũ, simul & resurrectionẽ in nouissimo die vnà nobiscũ & creditis & expectatis. Quod si verum sit, quomodo igitur regnũ in hoc sęculo immortale (viri mortales) vobis pollicemini? Quod enim immortale est, finem nõ habet. Quod verò finem, & diem habet nouissimũ, id qua ratione vobis sempiternũ dicetur? Quamobrẽ quod regnũ Meschiæ & Dauidis, solium æternum esse, apud prophetas, eiusq; pax infinita celebratur, pax illa vobis necessariò intelligenda est, non quæ sit externi corporis apud homines, sed quæ sit internæ conscientiæ & spiritus apud Deum. Quæ pax tum demùm enasci cœpit, simulatque natus is esset, de quo cõcinebant Angeli: Gloria in excelsis Deo, in terra pax, hominibus bona voluntas. Nam alioqui ratio hæc vestra quî vel ipsa secũ, vel cum prophetis consistet? Quòd si enim bellicosus vobis dux expectatur, qui subacto gentium imperio, vos in humum vestram armis & sanguine restituet, vbi tum combusta deprædatio, & vestium in sanguine volutatio? Vbi ille apud Esaiam Meschias, qui non bella, sed pacem loquetur gentibus? Vbi princeps, cuius vox in plateis non audietur foris? Vbi is, qui calamum quassatum non conteret? qui arma bellica rediget in cineres? Sin autem pacificum, & qualem describunt Prophetæ, expectatis, quæ tum gentium & terrarum erit subactio? Hæc inter se tam diuersa & pugnantia, quemadmodum sibi cohærent, vos etiam atque etiam cogitate.

Iudæorum ratio sibi ipsi contraria.

Regnum Meschiæ quomodo æternum, & pax eius infinita dicitur.

Luc. 2.

Zach. cap. 9.
Esa. 42.

Extant hoc genus innumera alia apud Esaiam vaticinia de Meschia pro peccatis populi sui cæso, & à vobis despecto, de longæuo eius semine, & generatione inenarrabili:

Esaiæ de Christo clarissima vaticinia. Cap. 53.

Cap.65. narrabili: De generis vestri repudiatione, & insitis loco
Cap.6. vestro gentibus: De occæcatis videntium oculis: De libro
Cap.35. literas nescienti tradito: De cæcis & claudis sanatis: De
Cap.43. struthionibus & draconibus Deum glorificantibus: De flu-
Cap.49. minibus in desertum traducendis: De salute Dei ex Sion
Cap.65. in extremum vsque terræ propaganda: De exigua eorum parte, qui inter vos salutem consequentur: Deniq; de nationis vestræ extirpatione, simul ac nominis vestri commutatione: "Et relinquetis, inquit, nomen vestrum in execrationem electis meis, interficietque te Deus, & seruos suos vocabit nomine alio. Et rursus, serui mei bibent & vos sitietis, ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini, &c. cap. 65." Non hîc quæro, quo interpretandi artificio velitis ista, vt multa soletis, ex destinata malitia deprauare, atque distorquere. Imò liberum vobis ius permitto, quacunq; potestis calumnia, adhibere interpretationem: nunquam tamen id efficietis, vt non rerum euidentia, & veritas manifesta apertissimè vobis in os reclamet, vestramq; coarguat impudentiam, quando ipsa quidem natura rerũ non patitur hæc aliò, quàm in Christum à vobis crucifixũ accommodari.

Esai.cap.40 Prætereo Esaiam, si vnum addidero, quod is capite 40. dictans in hæc verba: "Consolamini, inquit, consolamini populum meum, dicit Dominus Deus vester. Loquimini ad cor Ierusalem, & clamate ad eam, quòd impleta sit militia eius, & remissa iniquitas eius: accepit enim de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. &c.]"

Quid hæc contra vos? dicetis. Dicam, si vos locum Prophetæ cum ijs quæ sequuntur diligenti animaduersione contuleritis. "Vox, inquit, clamantis in deserto parate viam Domino, rectam facite in solitudine semitam Deo nostro &c." Quæ lux hac prophetia illustrior? quæ vox apertior? quæ consolatio fœcundior? In qua quum multa alia, tum tria potissimùm spectanda exhibentur. Præcedunt primùm scelera & flagitia populi. Insequitur post hæc vindicta numinis. Demum post longas & acerbas pœnas subit suauissima consolatio. In peccatis conspicitur populi

Iudaici

Iudaici aduersus Deum, eiusque legem pertinax & inuicta rebellio. In vindicta, Dei iusticia cernitur, quæ suorum nunquam finit impunita diu facinora. Consolatio tota ex gratia ipsius & misericordia proficiscitur, vnde suauissimæ istæ audiuntur promissiones, quibus diuina pietas priorem suam asperitatem molli quasi temperans lenimento, certò promittit fore, vt post emensos labores, & angustias, quibus tam diu sunt exagitati, nunquam dehinc tam acerbum in vindicandis illorum peccatis vltorē ipsum experiantur. Hincque dulcissima illa, plenaq; consolationis vox, qua Dominus ipse per Prophetam ad cor Ierusalē loquens: IMPLETA est, inquit, militia tua, & remissa est iniquitas tua. Accepisti enim de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis tuis. Ac si hic sit verborum sensus, quòd hactenus tam seuerum me erga vos iudicem prębuerim in irrogādis dignis impietate vestra supplicijs, debebatur hoc meritis vestris. In tā misera & diuturna calamitate, ac multiplici captiuitate vestra, primùm p Aegyptios, deinde Assyrios, posteà per Syrios, ac demùm per Herodem regem Allophylum satis iam satis experti hucusque estis, quid iusticia potuit. Nunc aliter visum est Domino de vobis statuere: non vt vindicē illam aciem rigoris sui in vos vlterà exacuat: non vt hostibus ampliùs captiuos dedat: sed vt versa in misericordiam ira, omnē potiùs clementiā in vos exhibeat, finemq; imponat ærumnis & militiæ vestræ, sic vt nullam posthac hostilem incursionē, nec sæuam captiuitatem, neq; tam duram flagitiorū vestrorū animaduersionem, qualem hactenus sustinuistis, iterū reformidetis. Veniet enim tempus, quo Dominus in peccata vestra non atrocibus illis flagellis, quibus iam satis superq; perfuncti estis, animaduertat ampliùs, sed pro clementia sua, ęterna vos ignoscentia prosequetur. Quo autem tēpore futura hęc sint, quæ euāgelizo, erit hoc vobis signi vice, quò tempus ipsum à me prædictum adnotetis. Vox enim audietur in deserto clamans: Parate viam Domino, rectam facite in solitudine semitam Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, &c. Et pergens

1. Scelera hominum.
2. Vindicta iusticiæ.
3. Consolatio gratiæ.
Locus Esai. 40. paraphrasi explicatus.
Vox clamantis in deserto.

" gens adhuc vox, rogansque quid dicat: Dic, inquit, ciuitatibus Iudæ, Ecce Deus vester, ipse veniet: ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: Ecce merces eius cum eo, &c. Hæc vbi è vasta solitudine facta auribus vestris insonuerint, atque oculis incurrerint, erit id vobis indicio, nō procul abesse à foribus, qui vos liberaturus sit.

Exposui, ni fallor, mētem ac sensum sermonis Prophetici, in quo quum duo sunt, quorū alterum ad peccati profligationem, alterum ad vocem in deserto clamantem attinet, quis non videt vtrumque in Christo, atque in Ioanne Baptista completum esse: sicque completum, vt nulla tergiuersatione possit hic locus aliter accommodari? Nā quid aliud vox illa voluit Ioannis in solitudine clamantis, quàm viam Domino aduentanti præstruere? Aut quid doctrina illa noui testamēti aliud vobis nobisque omnibus tum annunciauit, annunciatque quotidie, nisi perpetuā peccatorum dimissionem ceu iustitium quoddam? In quo finis omnis militiæ nostræ statuitur. Etenim quamdiu lex & iustitia Dei contra peccata militabant, finiri militia nullo modo potuit. Sublato verò legis imperio ac debellato hoste, finem illic militia nostra accipiat necesse est: peccator siquidem vbi non sub lege esse incipit, sed sub gratia, nec quicquam sit cui resistat, partaque victoria sit in manibus, nihil iam opus lucta ampliùs, sed epinicio potiùs.

Finis militiæ nostræ iuxta Esaiā 40.

Post Esaiam proximum huic Hieremiam in testimonium aduocemus: qui quum de reditu Israelitarum è Babylonijs multa prædicasset, ita demum eos consolatur, vt nūquam deinceps è patrio solo remouendos dicat. Sic enim cap. 23. Et ego congregabo reliquias gregis mei, de omnibus terris, ad quas eiecero eos, & conuertam eos ad rura sua, & crescent, & multiplicabuntur. Et suscitabo super eos pastores, & pascent eos, & non formidabunt vltrà, & non pauebunt, & nullus quæretur ex numero, dicit Dominus, &c. Et mox continenter: Et dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet iudicium & iusticiam in terra.

Ierem. cap. 23.

Cap. eodem.

In diebus illis ſeruabitur Iuda,& Iſrael habitabit confiden-
ter:& hoc eſt quod vocabunt eum, Dominus iuſtus no-
ſter,&c. Rurſus cap. 24. Sicut ficus hæ bonæ, ſic cognoſ- *Cap.24.*
cam tranſmigrationem Iudæ, quam emiſi de loco iſto in
terram Chaldæorum,in bonum. Ponã enim oculum meũ
ſuper eos in bonum,& reducam eos in terram iſtam,ædifi-
cabo eos,& non diruã,plantaboque eos,& non euellã,&c.
Itidem,cap.31.Ecce ego adducam eos de terra Aquilo- *Cap.31.*
nis,& congregabo eos ab extremis terrę,inter quos erunt
cæcus & claudus,& prægnans & pariens ſimul,cætus mag-
nus venientium huc. Et venient & laudabunt in monte
Sion,eritque anima eorum, quaſi hortus irriguus, & vltrà
non eſurient.Propitiabor iniquitati eorum,& peccati corũ
non recordabor ampliùs. Et ſemen Iſrael non deficiet, vt
non ſit gens corã me cunctis diebus. Aedificabuntur loca,
quę omnia ſanctificata erunt,& nunquã euellentur,neque
diruentur inæternum. Et cap.32.Hęc dicit Dominus Deus *Cap.32.*
Iſrael ad ciuitatẽ hanc,de qua vos dicitis,quòd tradita eſt
in manum regis Babel, in gladio,in fame,& in peſtilentia,
Ecce ego congrego eos de vniuerſis terris, ad quas eieci
eos in ira mea, reducamque eos ad locũ iſtum, & habitare
eos faciam cõfidenter. Ipſi erunt populus meus,& ego ero
eorum Deus.Daboq; eis cor vnum,vt timeant me,cunctis
diebus,feriamque cum eis pactum perpetuũ,quod nunquã
ab eis reuocabo, &c. Et pergens deinde ſequenti capite:
Quia,inquit,Hieroſolymitani nõ ſe ſubmiſerint Chaldęis, *Hier.cap.*
ſed vi reſtiterunt illis, ideò cadaueribus repletæ ſunt mu- *33.*
nitiones.Sed ecce ego adducam ei reparationẽ,ſanabo eã,
& detegam eis glorioſam pacem & veritatẽ. Sic dixit Do-
minus, Adhuc audietur in loco iſto, de quo vos dicitis,
quòd deſolatus ſit,in plateis Ieruſalem,quæ ſunt deſolatæ,
& abſq; habitatore,ibi vox erit lętitiæ & gaudij. Ecce dies
veniunt,dicit Dominus,& ſuſcitabo verbum bonum, quod
loquutus ſum ſuper domum Iſrael & Iehuda.In diebus illis
faciam germinare ipſi Dauid germen iuſticiæ, & faciet
iudicium atq; iuſtitiam in terra.In diebus illis ſaluabitur
Iehuda, & Iſrael habitabit confidenter, & hoc eſt

 quod

" quod vocabit eam: Dominus iusticia nostra. Quoniam sic
" dicit Dominus, Non succidetur de Dauid vir sedens super
" solium domus Israel, & de Leuitis non succidetur vir à
" conspectu meo, qui offerat holocaustum & sacrificium
Cap.50. cunctis diebus, &c. Et cap.50. Sic dicit Deus Israel: Ecce
" ego visito regem Babylonis, sicut visitaui regem Assur.
" Et reducam Israelem ad habitaculum suum, & pascetur, &
" saturabitur anima eius in tempore illo, dicit Dominus, re-
" quiretur iniquitas Israel, & non erit, & peccatum Iehuda,
" & non inuenietur, quoniam propitiabor eis, quos residu-
" os fecero, &c.

Baruch, cap.5. Adde his quæ scribit Baruch Cap. 5. Exue te Ierusalem stola luctus, & vexationis tuæ, & indue te honore,
" quia à Deo est tibi sempiterna gloria. Circundato te di-
" ploide à Deo iusticiæ, & impone mitram capiti tuo hono-
" ris æterni. Deus enim ostendit splendorem suum in te, qui
" sub cœlo est. Nominabitur enim tibi nomen tuum à Deo
" in sempiternum, &c.

Prophetarum vaticinia de regno Dauidis spiritualiter accipi necesse est. Quid his scripturæ testimonijs apertius? In quibus quum duo proposita videantur, alterum fateamini necesse est: aut imperium hoc populi Israelitici post Babylonicam reductionem nunquam posteà ruiturum, quod iuxta externam carnis literam falsissimum cernitis: aut mentitos certè Prophetas, si euertatur, quod dictu sit absurdissimum.

Ex quo relinquitur, hæc omnia spirituali ac mystica ratione necessariò accipienda, quæ Prophetæ de solio Dauidis, & sempiterna illius gloria deprædicāt. Nam alioqui quod ad carnalem regni huius statum attinet, minimè vos ipsi ignoratis, quò res vestræ pòst paulò defluxerunt, obsidentibus ciuitatem vestram Romanis, vniuersamq; nationem penè ad internecionem populantibus. Vnde res ipsa cogit necessariò, vt promissiones istæ de perpetua Dauidici imperij securitate multò aliter intelligantur, vosq; vel *Dilemma.* mentiri in interpretando: aut mentitos certè Prophetas in prophetando. E duobus istis quum alterum sit necessariò concedendum, vtrum ipsi malitis, aut qua ratione ipsi

vos

vos ex hac difficultate expedietis, ſcire velim. At mendaces eſſe Prophetas nemo dixerit, quippe qui doctore ſpiritu ſancto nihil hauſerunt, quod non veriſſimum, nihil expreſſerunt, quod non certiſſimum euentus etiam ipſe comprobauit.

Præſenſerant enim, quod res erat, dictante ſpiritu Dei, primum è Babylone reuocandas transmigrationis reliquias: euenit. Ad annos haud minùs ſeptuaginta duraturam eam captiuitatẽ: euenit. Demũ poſt exactum huius exilij curriculum, affuturũ principem, filiumq́; datum iri ſuo tẽpore, qui ſoliũ occupans Dauidis patris ſui, habenas regni capeſſeret, illudque perẽni ſecuritate pacis & trãquillitatis firmaret in æternũ: euenit item illud, eo nimirũ tempore, quo natus eſt in ciuitate Dauid Dei filius, admirãdus ille conſiliarius, Deus fortis, Princeps pacis. Qui etſi mortuus ſemel, iuxta carnem, victuſque ſit, at mors tamen illa tantùm tridui fuit: vita verò in omnes durat æternitates, partaq́; victoria eſt ſempiterna: qua mortem ille moriẽdo, vt Sampſon olim Philiſtæos, deiecit, peccati nexus diſſoluit, diaboli perfregit tyrannidem, vitamq́; ſuis peperit immortalem, nullis iam inimicorum, nec mundi poteſtate ſuperabilem. Nam quòd Romanorũ armis ciuitas illa exciſa ſit poſteà, ac templum fundituùs diſſipatũ, nihil id prophetarum fidem eleuat, de ſtabilienda ſedis illius gloria, imò confirmat veriùs. Victi ſunt Iudæi rebelles, ac perfidi homicidæ Chriſti. At Chriſtus tamen regni princeps cũ Eccleſia ſua vinci non potuit, nec vincetur vnquã: ſed vincit, viuit, ac triumphat quotidie. Inuictam hanc principis æterni maieſtatem, & regni gloriam, ſi vos nondum peruidetis, at viderunt Prophetæ veſtri, vidit Abraham & gauiſus eſt, vidit Eſaias, qui addito etiam iuramẽto cõteſtatur: Iurauit Dominus, inquit, in dextera ſua, & in brachio fortitudinis ſuę, Si dedero frumentũ tuum ampliùs cibum inimicis tuis, & ſi biberint filij alieni vinum tuũ, pro quo tu laboraſti. Sed qui congregabunt illud, ipſi comedent ipſum, & laudabunt Dominum: Et qui colligunt illud, illi bibent ipſum in atrijs ſanctis meis, &c.

Eſa.9.

Iudic.16.

Poſt exiliũ Babylonicũ perpetua ſecuritas promiſſa Iudæis.

Eſa.62.

 Idemque

Esa.60. Idemque rursus cap. 60. Ierosolymam velut apud Babylo-
" nios captiuam alloquens: Pro eo quòd fuisti derelicta &
" odio habita, vt nemo per te transiret, ponam te in magni-
" ficentiam sæculi, & in gaudium generationis & generatio-
Esa.54. nis, &c. Et deinceps, cap. 54. In momẽto indignationis ab-
" scondi faciem meam ad punctum à te, & in misericordia
" sempiterna misertus sum tui, dicit redemptor tuus Domi-
" nus. Sicut in diebus Noah istud mihi est, cui iuraui ne in-
" ducerem aquas diluuij amplius super terram; sic iuraui ne
" irascar super te, nec increpem te. Siquidem montes com-
" mouebuntur, & colles nutabunt, misericordia autem mea
" non recedet à te, nec fœdus pacis meæ mouebitur, dicit
Cap.48. miserator tuus Dominus, &c. Et alibi iterum: Egredimini
" de Babel, fugite à Chaldæis, cum voce exultationis an-
" nunciate, & diuulgate istud, & efferte ipsum vsque ad ex-
" tremũ terræ: dicite, Redemit Dominus seruũ suum Iacob.
Cap.49. & mox: Leue est *vt* sis seruus meus ad suscitãdas tribus Ia-
" cob, & desolationes Israel reducas. Dedi enim te in lucem
" gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Ecce
" in manibus descripsi te, muri tui corã oculis meis semper.
" Venerunt structores tui, destruentes te, & dissipantes à te
" exibunt, &c.

Atq; ista vidit non Esaias solùm: viderunt & cæteri prophetæ & patriarchæ, sanctiq; omnes regni huius magnificentiam, priusquã aduenisset, expectabant, præsentem angeli è cœlo enunciãt, miracula testãtur, cõfirmat paschalis resurrectio, quin & dæmones ipsi sentiunt & cõtremiscũt. Deinde Apostolorũ & Martyrum cœtus omnis confitetur, Gentium porrò omnium linguæ prędicant, adorãt genua. Deniq; spiritus Dei sanctus arcana energia in piorum cordibus quotidie propagat atque obsignat. Postremò & vos ipsi Iudæi, etsi nõdũ agnoscitis, agnoscetis tamen, vt spero, aliquando mirabiles huius regni opes, regisq; inuictam & sempiternam potentiam, quæ cætera omnia mundi huius regna obruet, ipsa verò nulla vnquam vi deijcietur, nec fi-
Daniel 2. ne claudetur, Daniel 2.

Verumenimuerò potentia hæc vt carnalis non est, nec

carneis

carneis oculis cerni poteſt : ita nec contra carnem & ſan- *Epheſ.6*
guinem armis pugnat carnalibus. Multò altiùs principis
huius volat victoria:nõ humi repit, cœlos ipſos tranſuolat:
Non homines oppugnat,Diabolũ ipſum mundi principem
petit:è cœlo antiquum in cœlis accuſatorem deturbat, de-
iectũ conficit ſuo gladio.Iram tollit,legem expugnat,pec-
catum abolet,mortem iugulat, iudicandi poteſtatem in ſe
omnem deriuat,vt non immeritò propheta alicubi in mul-
titudine fortitudinis ſuę gradientem admiretur.Qui vt in- *Eſa.63.*
gentes deuicit hoſtes : ita nec parua ſuis ſpolia diſtribuit,
nec mortalia largitur ille,ſed æterna.Vis æterni huius mo-
narchæ potentiam cernere? Audi in Euangelio ipſam lo-
quentem veritatem: Hæc eſt, inquit,voluntas patris mei, *Ioan.6.*
qui me miſit, vt omnis qui videt Filium, & credit in eum, „
vitam habeat æternam. quid regalius? Et ego ſuſcitabo „
eum in nouiſſimo die. quid potentius ? Sicut Pater habet „
vitam in ſeipſo , ſic dedit Filio habere vitam in ſemetipſo, „
& quos vult,viuificare. & poteſtatem dedit ei etiam iudi- „
cium facere. quid excelſius? Neque enim Pater iudicat „
quenquam,ſed omne iudicium dedit Filio. quid illuſtrius? „
Cui data poteſtas omnis ſit in cœlo & in terra. quid poſſit *Ioan 5.*
amplius accedere? Ad hæc , vt ſigno etiam comperiatis,
quòd poteſtatem habeat filius hominis in terra remitten-
di peccata , dictum audiſtis paralytico , Tolle lectulum „
tuum, & ambula. Rurſuſque , Sicut me miſit viuens Pa- „
ter , ita ego mitto vos. Quorumcunque remiſeritis pec- „
cata,remittuntur eis. Super hæc audiamus Petrum: Huic, *Act.10.*
inquit , omnes Prophetæ teſtimonium ferunt , peccato- „
rum veniam conſequuturos per nomen eius , quotquot „
crediderint in eum. quid admirabilius ? Cùm exaltatus „
fuerit Filius hominis , omnia traham ad meipſum. quid „
glorioſius?

His adiungamus Paulum : Qui pacificauit omnia & „
quæ in cœlo ſunt , & quæ in terra. Qui iram & inimici- „
tiam omnem inter Deum & homines peremit in ſemet- „
ipſo. Qui miſeras & ad inferos depreſſas conſcientias „
nutu ſubleuat , ſpiritu reficit ac dilatat , verbo ſanat , „

peccatis eximit, mortis & iudicij metu liberat, è potestate diaboli emancipat: Quæ huius imperio comparanda maiestas? aut quid hac maiestate amabilius? In cuius nomine genua cadunt cœlestium, terrestrium, & infernorum: cuius numine exiliunt fugiuntque dæmones, reuiuiscunt mortui, pelluntur morbi, exeunt vincti, pascuntur famelici, laborantes reficiuntur & onerati, luctu ac squallore suspirantes refocillantur, Mors vincitur, absterguntur lachrymæ, fugit dolor & gemitus, summa imis mutantur, celsa ruunt, obscura splendescunt, aspera complanantur, prima fiunt nouissima, nouissima prima.

Esa.35. 55.61. Mat.11. Esa.25. 35.2. Esa.9.40. Mat.20.

Talem nunc tantumque principem salutis æternæ autorem, angelum testamenti etsi vos miseri Hebræi miserè exploditis, & indignissimè execramini in synagogis vestris, ea solùm parte spectantes eum, qua iuxta externum aspectum & carnis dispensationem imbecillis fuit, mortuus atque sepultus: Nos tamen cum hac infirmitate coniunctam in eo diuinitatem intuentes, facta eius, vitam, & resurrectionem, totamque adeò rerum gestarum historiam cum prophetis conferentes, scripturis confirmati, spiritu cœlitùs edocti, propheticis innixi promissis, ac miraculis euidentissimis persuasi, eum esse quem vos expectatis, certissima fide agnoscimus: freti denique ac confisi potentia ipsius, ac præsidijs muniti, & alto & magno animo contra mundi procellas, malorumque asperitates omnes insurgimus, vt iam neque blasphemias vestras, nec Satanæ terrores, nec inferorum portas, nec tyrannorum minas, nec mortis faciem ipsam quamlibet vobis formidabilem, quin nec legis etiam diuinæ, quod maius est, maledictionem omnesque accusationes extimescamus. Quid enim legis actiones pertimescat ille, qui Christum habeat legis Dominum? Quid mortem ille, aut mortis autorem diabolum, aut diaboli satellites omnes metuat, qui vitæ suæ præsidem & resurrectionis sponsorem habeat Filium Dei: qui assidens ad dextram Dei patris claues in manu tenet mortis & inferni, qua claudit,

Amplitudo regni Christi.

Psal.109. Apoc.cap.1.3.

claudit,& nemo aperit,aperit,& nemo claudit,nutu potentiæ suæ vniuersa claudens, administrans & quæ in cœlo sunt,& quæ in terra?

Atque hinc illa (si nesciatis) tanta Martyrum nostrorum, & Apostolorum in obeunda morte constantia. hinc Christianæ fidei vis infracta: hinc Ecclesiæ Christianæ tanta, tamque inuicta firmitas, quæ toties hactenus à vobis impetita, tot iniurijs violata, gentium ac populorum furoribus exagitata, tot obsita diabolis, omni tormentorum genere concussa, nullis vnquam machinis potuit ad hunc vsque diem deijci, nec vnquam deijcietur. Quæ quidem res, si rectè rem ipsi vobiscum supputare in animo volueritis, quid aliud quàm diuinum atque ineffabile ducis sui robur arguere videbitur? Cæterùm potentia hæc vt spiritualis existit, ita nisi oculis spiritualibus cerni non potest, in hoc, vt dixi, comparata, non vt hominibus adeò vim inferat, sed vt diabolum maximè summum huius mundi principem peruincat, suoque exturbatum imperio expoliet. Id quod egregiè ab illo præstitum videat, qui ea quæ gesta sunt attentiusculè consideret paululum. Vt iam potentissimi victoris argumentum nusquam constet luculentius, quàm ab ipso superato hoste. Quòd si enim victoris illustriùs laus enitescat, quò fortior is sit qui expugnatur: quid de illo tum existimandum, qui non contra homines, sed hominum potiùs suscepta causa, contra sublimes illos & inuisibiles humani generis hostes, nulla humana facultate superabiles, contra spirituales nequitias in cœlestibus, aduersus principes & potestates rectores tenebrarum mundi huius, contra mortem, contra peccati grauitatē, contra Legis & iræ maledictionem, cōtra vim & portas inferorū, aduersus tot dæmonum aduersarias impressiones suscepto certamine, solus potuit de ijs omnibus per semetipsum triumphare, nullo adiutus non solùm humano auxilio, sed nec vlla etiam, quod magis miremini, vi omninò adhibita, nec vllo vsus resistendi artificio: Quemadmodum in humanis victorijs fieri consueuit, vbi ingentia stratagemata,

Potentia Christi in tuenda Ecclesia sua.

Christi potestas spiritualis, non cōtra homines, sed contra spirituales nequitias maximè dimicās

Christi victoria non cōtra homines, sed pro hominibus.

mata, non ſine magnis viribus, & arte quadam vincendi, fallendique aſtutia conficiuntur. Contrà hîc præpoſtera neſcio qua ratione, nullis neque armis, nec viribus, nec inſidijs vllis res geſta eſt, ſed ſimplici duntaxat & aperta veritate. Quid enim ſimplicius, quàm per humilitatem & patientiam, eorum te dedere voluntati, quibuſcum certas? aut quid magis ab omni victoriæ ſpe alienum? Et tamen hinc factum eſt, vt per humilitatem hanc ſuperbia deiecta ſit, per paupertatem diuitiæ fractæ, per infirmitatem mundi potentia corruerit, per innocentiam profligata maledictio, & peccata exoluta, per ſilentium os obſtructum aduerſarijs, cadendo ſurgeret victoria, moriendo mors victa, vitaque parata ſit immortalis.

Victoria Chriſti quibus modis comparata.

Quanquam vt ingenuè confitear, neque hîc etiam defuit ſuum, in hac victoria artificium, idque ſingulare: at ſalutare tamen, planeque diuinum, ſanctum, & ſumma coniunctum iuſtitia: quo non homines ille falleret, nec bonum quenquam à vero abduceret: ſed quo, diabolo duntaxat laqueum ſirueret. Neque id immeritò. Quid enim magis conueniebat, quàm vt ſerpens ille veterator, qui aſtu, & mendacijs humanum genus in fraudem primùm pellexerat, is viciſſim diuina quadam ſubtilitate, ſine vllo tamē mendacij fuco, ſuo ipſi⁹ illaqueatus ac implicitus errore cauſa caderet, imperio excideret? Quid congruentius, quàm impoſtorem omnium atrociſſimum ſuo ipſius laqueo ſtringere? quàm poſſeſſorē iniquiſſimum, æquiſſimo iure iniuſta pellere poſſeſſione?

Aſtutia ſerpentis, maiori aſtutia opprimitur.

Quare agè nunc Satana, malorum omnium opifex atque machinator, dic tandem, ſi potes. Quid ais? Nónne vides omnia tua conſilia deluſa cœlitùs? Nónne caput tuum iam attritum ſentis, per carnis infirmitatem, dum carni infirmæ inſidiabaris? Deuoraras prædam, ſed coactus es reuomere. Parabas exitium humano generi, ac maturaſti ſalutem. In crucem ſubegiſti (quæ tua erat malitia) innocentem: Imò (quæ tua erat ſtultitia) Filium Dei, qua vix illum pupugiſti, teipſum verò occidiſti, nos

Satan in Chriſto deluſus egregiè.

omnes beasti in æternum. Neque enim vnum illum,sed in illo omnia peccata nostra in lignum illud suffixisti, quippe quæ iã vnico illo sacrificio expiata nos æterna liberãt molestia,tibi sempiternam conciliãt.At monere stultitiam tuam potuisset aheneus ille serpens,qui nisi in stipite suspensus, sauciatorum vulneribus mederi nequiuisset.Monere potuisset & Sampson ille typus Domini nostri: tum omnium maximè agniculus ille typicus, cuius mactatio quàm hostibus funesta, tam populo Dei vniuerso salutaris fuit. Neque secus tibi nunc tuisq; venit vsu. Conabaris enim stabilire tyrãnidẽ tuam, & perdidisti regnũ. Quid,an filiũ Dei esse nescieras,quem impetisti? cur ergo confitebaris? Si præsenseras, qua audacia tantã te moliri impietatem? Sed infirmum videbas, & tenui amictum specie: Experiri fortè volebas, num occidi poterat. Itaque irruisti, occidisti. Agè,& cur non occisum igitur retinuisti? qua ratione è manibus amisisti? aut quò tandem abs te elapsus ille abijt? vbi nunc considet? An non vides maledicte homicida, in quem neruum vis hæc tua erupit denique? Agnoscis ne lignum illud, χαὶ ςαυρον αἰσχύνης, quod per tuos misisti in panem illius, tibi versum in venenum esse, nobis in lignum vitæ? Agnoscis ne triumphalem mortis diem illum, in quo expoliauit ille principatus & potestates, ostentans, ac triumphans de illis palàm per semetipsũ,atq; in quo ipse cũ tuis ad biduũ triumphasti,nobis in monumẽtũ erigi æternę lętitię & libertatis, ad cuius memoriã pauitant tuæ cateruę?Agnoscis ne nũc tandẽ nomẽ illud,ꝙ datum sit illi supra omne nomẽ,cuius & ipse potestatẽ subinde sẽtis,& cui cedere dæmones inuiti cogũtur malitiæ tuæ satellites?An non meritò versis nũc rerũ vicib. victor ille tibi victo insultat? Vbi est mors stimulꝰ tuus? vbi est mors victoria tua?Ac dũ victus etiã ac prostratus in victorẽ recalcitras,dũ iam olim Pharisæos & reges gentiũ furere compulisti in pios Martyres,quid vinculis illis, carceribus, lapidibus, flagris,eculeis, vngulis, ignibus, quid tot suppliciorum formis,quid tot mortibus profecisti? Confirmasti fidem Christi.Constabilisti simul & dilatasti regnum

Victus & expoliatus Satan.

Coloß.2.

Philip.2.

Ose.cap.13

Christi:

Christi: tibi tuisque membris gehennę cruciatus conduplicasti. Partim debemus pertinaci tuæ vesaniæ, quòd in toto terrarum orbe gloriosũ sit nomen Domini nostri Iesu Christi. Quin nec cessas adhuc quotidie calcaneo illi' insidiari, sed quotidie tuos inuidos conatus irridet, qui in cœlis est. Quotidie machinationes tuas subsannat, qui nouit omnes insidias, ac tumultus tuos suis vertere in bonum, & in cumulum felicitatis æternæ.

Sed redeo ad Prophetas: ex quibus tamen nec omnia decerpam, neque ex omnibus, sed pauca ex multis sparsim ac collectim delibabo præsenti instituto ita accõmoda, vt vos quacunque adhibita interpretatione, Christum Dominum nostrum nunquam reijcere, nisi reiectis simul Prophetis vestris, nec Prophetas admittere, nisi admisso simul Christo nostro necessariò cogamini. Atque vt interim E- *Eze.cap.28* zechielis vaticinationes celeberrimas quidẽ illas, nostręq; causæ adiunctissimas compendij studio prætereamus: quibus ille ciuitatis atque templi secundam restaurationem è Babylone prænunciat, quæ nulla vnquam vel temporum diuturnitate, vel hostium incursione dehinc violanda sit inperpetuum. Id enim Propheta scriptis suis fusissimè testificatur, cap. 28. Et habitabunt, inquit, in terra sua securi, & ædificabunt domos, & plantabunt vineas, & habitabunt confidenter, cùm fecero iudicia in omnibus, qui aduersantur eis per circuitum, &c. Et rursus. cap. 34. Et erunt in *Cap.34.* terra sua absque timore. Et non erunt ampliùs in direptionem gentibus, neque bestia terræ deuorabit eos, sed habitabunt confidenter, nec erit, qui exterreat. Et suscitabo eis plantationem in nomen, & non erunt ampliùs fame constricti in terra, neque portabunt vltrà ignominiam gẽtium. &c. Et capit. 36. montes Israel alloquens: Et redu- *Cap.36.* cam, ait, ad eos populum meum Israel, qui hæreditabunt te, & tu eris in possessionem, nec addes vltrà vt orbos illos facias. faciamque vt non vltrà opprobrium gentium audias, & conuitium populorum non ampliùs portabis. Et cap. *Cap.37.* mox sequente: Nec erunt vltrà in duas gentes, neque diuidentur ampliùs in duo regna. Neque etiam polluentur vltrà

vltrà in idolis suis, & in cunctis iniquitatib. ipsorũ. Sed habitabũt sup terrã suã ipsi, & filij eorũ, atq; filij filiorum eorum vsque in sæculum, & Dauid seruus meus erit princeps eorum in æternum. Et ego percutiam cum eis fœdus pacis, fœdus perpetuum erit eis: & multiplicabo eos, ponãq; sanctuarium meum in medio eorum in æternum. Et paulò antè cap. alio: Et aduocabo frumentum, multiplicaboq; ipsum, & non dabo super vos famem. &c. Quod quo pacto verum intelligetur, quum postea in obsidione Romana matres etiam præ fame infantulos suos mactasse, penéque ad panalothriam omnes extincti eadem clade referuntur: nisi de spirituali repub. Israelis, non carnali ista accipiãtur, non video. *Cap. 36.*

Cæterùm prætermissis his, vt dictum est, quoniam singulis immorari non licet, ad alia nos recipiamus. Tum illud inprimis ex capite Danielis nono, quoniam locus insigniter ad rem pertinet, discutiamus. Vbi diuinus Propheta totum reipub. vestræ statum à Babylonica relaxatione, ad vltimum desolationis exitum complectitur: simulque eodem capite Meschiæ necem, & finem peccati, atque sacrificiorum abolitionem notis ac figuris temporum designat tam perspicuè, vt nulla relicta videatur tergiuersandi copia. Verba ipsa ꝓpheticæ visionis, quo dignũ est studio, appendamꝰ. Sic enim Angelus Gabriel Danielẽ inter precandum compellans, adloquitur in hæc verba:

PRINCIPIO, inquit, precationum tuarũ exiuit verbum, & ego veni vt annunciarem, quia tu desideriorum vir, itaq; intellige in verbo, & aduerte in visione: Hebdomadæ septuaginta decisę [vel determinatæ] sunt super populũ tuum & super vrbẽ sanctã tuam, ad consũmãdã præuaricationẽ, ad signandum peccata & ad expiandam iniquitatẽ, & adducendam iusticiam sæculorum, [vel æternam], & obsignandam visionẽ, & prophetã, [vel prophetiam,] & vngendum sanctũ sanctorum, [siue sanctitatem sãctitatũ]. Et cognosces atque intelliges, Ab exitu sermonis, de reducenda & reædificanda Ierosolyma ad Meschiam principem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ: reducetur *Dan. cap. 9.*

" tur & ædificabitur platea & murus,[vel fossa,] in angustia
" temporum. Et post hebdomadas sexaginta duas excide-
" tur Meschias, [Vnctus]& non illi [i.vita priuabitur.]Et ci-
" uitaté,& sanctuariũ perdet populus principis aduenìens,
" [aduenientis]& finis eius erit in [cũ]inũdatione,& ad finé
" belli determinata desolatio[definitio desolationũ.] & ro-
" borabit fœd⁹ multis hebdomada vna:& dimidia hebdoma-
" da quiescere [cessare] faciet sacrificiũ & oblationé [min-
" ha,] & sup alam[vel vt alij, ꝓpter exté́sioné]abominatio-
" nũerit desolatio[desolabit]vsq; ad consũmationé,& deter-
" minatio [determinata vastitas]destillabit sup desolationé.

Vulgata translatio.

Vulgata translatio. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super popu-
lum tuum,& super vrbé sanctam tuã,vt consummetur prę-
" uaricatio, & finé accipiat peccatũ,& deleatur iniquitas,&
" adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & pro-
" phetia: & vngatur sanctus sanctorum. Scito ergo & ani-
" maduerte: ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ieru-
" salem,vsq; ad CHRISTVM ducem,hebdomades septem,
" & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædifica-
" bitur platea,& muri in angustia temporum.Et post hebdo-
" mades sexaginta duas occidetur CHRISTVS, & non erit
" eius populus,qui eum negaturus est. Et ciuitatem, & san-
" ctuarium dissipabit populus cum duce venturo.& finis eius
" vastitas. & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit
" auté pactũ multis hebdomada vna, & in dimidio hebdo-
" madis deficiet hostia & sacrificiũ.& erit in téplo abomina-
" tio desolationis.& vsq; ad consũmationem & finem per-
" seuerabit desolatio.

Munsteri translatio.

Hebdomades septuaginta determinatæ sunt super po-
Munsterus. pulum tuum,& super ciuitatem tuam sanctam,ad consum-
" mandum scelera,ad signandum peccata,& ad expiandum
" iniquitatem,atq; ad adducendum iustitiam sæculorum: ad
" signandum visionem,& Prophetam, atq; ad vngendũ san-
" ctum sanctorum. Et cognosces atque considerabis, ab e-
" gressu verbi, de reparanda,& reædificãda Ierusalem,vsque
ad

ad Meschiã principẽ hebdomades septẽ, & hebdomades „
sexaginta duas: restituetur autẽ & reædificabitur platea & „
fossa, sed in angustia temporum. Et post hebdomades sex- „
aginta duas excidetur Vnctus, & nihil de eo, & ciuitatem „
atque sanctuarium perdet populus principis venientis, & „
finis eius erit in inundatione, & vsque ad finem belli de- „
finita desolatio. Et roborabit fœd⁹ cum multis hebdomada „
vna, ac dimidia hebdomada faciet cessare sacrificiũ, & ob- „
lationem minha, & propter expansionem abominatio- „
num erit desolatio, & vsque ad consummationem & defini- „
tam exterminationẽ stillabit super [populum] qui obnoxi- „
us est desolationi. „

Pagnini & Vatabli translatio.

Hebdomadæ septuaginta decisæ sunt super populum tuũ, *Pagnin⁹ & Vatablus.*
& super vrbem sanctam tuam, ad finiendã præuaricationẽ,
& ad consumendũ peccatum, & expiandam iniquitatem, & „
ad iustitiam sæculorum adducendã, & finiendũ visionem „
& Prophetã, & vngendũ Sanctitatẽ Sanctitatũ. Scias ergò „
& intelligas, quòd ab exitu sermonis de reducẽdo populo, „
& ædificãda Ierusalem vsque ad Christũ ducem, hebdo- „
madæ septẽ hebdomadæ sexaginta duæ, & redibit, reædi- „
ficabitur platea & murus in angustia temporum. Post heb- „
domadas verò sexaginta duas excidetur CHRISTVS, & „
non erit ei [opẽ ferẽs] & vrbẽ illã & sanctuariũ dissipabit „
populus ducis venturi, & finis eius cũ inundatione, & vsq; „
ad finem belli excidetur desolationib⁹. Et roborabit pactũ „
multis hebdomada vna, & dimidia hebdomada cessare fa- „
ciet sacrificium & oblationem, & propter extẽsionem abo- „
minationum desolabit, donec cõsummatio, & [quidem] de- „
cisa effuderit sese super admirantem. „

Caluini translatio.

Septuaginta hebdomades finitæ sunt super populũ tuũ, & *Caluinus.*
super vrbem tuam sanctã ad claudẽdũ scelus, & obsignãdũ „
peccatũ, & expiandã iniquitatẽ, & adducẽdã iustitiã æter- „
nã, & obsignandã visionẽ & prophetiã, & vngendũ sanctum „
sanctorũ. Cognosces ergò & intelliges, ab exitu verbi de re- „
ditu, & de ædificanda Ierosolyma, vsque ad Christum du- „
cem

" cem hebdomadas sexaginta duas, & reducetur [populus] &
" reædificabitur platea, & mur⁹, idq; in angustia tẽporũ. Et
" post hebdomadas sexaginta duas excidetur CHRISTVS,
" & nihil erit: & vrbem & sanctuarium perdet populus du-
" cis venientis, & finis eius cum inũdatione erit, & ad finẽ
" belli definitio desolationum. Et roborabit fœdus multis
" hebdomade vna: & dimidia hebdomade quiescere faciet
" sacrificium & oblationem: & super extensionem vel expã-
" sionẽ abominationũ obstupescet [vel obstupescere faciet]
" & ad finem & determinationem stillabit super stupentem.

Melancthonis translatio.

Philippus. Septuaginta hebdomades præcisæ sunt super populum
" tuum, & super vrbem sãctam tuam. Et expiabitur iniqui-
" tas, & veniet iustitia perpetua, & signabitur Prophetia &
" visio, & vngetur sanctus sanctorum. Et scies, & intelliges,
" Ab exitu sermonis de reditu & ædificatione Ierusalem,
" vsque ad Christum ducem hebdomadibus septem, & heb-
" domadibus sexaginta duabus, & ædificata erit platea &
" murus in angustia temporum. Et post hebdomadas sexa-
" ginta & duas excidetur Christus, & non erit ei populus, &
" ciuitatem & sanctuarium destruet populus ducis venien-
" tis. Et finis eius diluuium, & ad finem belli definiat seu con-
" stituta desolatio, seu vastitas. Et confirmabit pactũ, seu te-
" stamentum multis vna hebdomade, & in dimidio hebdo-
" madis cessare faciet hostiam & oblationem: & super alam
" abominationes desolationis, & vsq; ad consummationem
" definitam stillabit super vastitatem: vel super alam erunt
" abominationes desolationis.

Vrbanus Rhegius non multùm discrepans à vulgata æditione ita habet.

Vrbanus Rhegius. " Septuaginta hebdomades abbreuiatæ [vel definitæ,
" determinatæ] sunt super populum tuum, & super vrbem
" sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio [vel tum co-
" hibebitur, aut arcebitur trãsgressio] & finem accipiat pec-
" catum, [vel tum claudetur, tegetur peccatum] & deleatur
" iniquitas [vel expietur] & adducatur iusticia sempiterna,
" & impleatur [siue obsignetur] visio & prophetia, & vnga-
tur

tur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animaduerte ab exitu sermonis [i. ab eo tempore quo mandatum exit] quòd iterum ędificabitur Hierusalem, vsque ad Christum ducem hebdomades septem sunt, & hebdomades sexaginta duæ. Et rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum. Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est [vel qui nolent, vel qui repudiabunt eum.] Et popul' ducis veniet, ciuitatemque & Sanctuarium dissipabit [destruet] & finis eius vastitas [vel finis eius cum tempestate, vel cum inundatione:] & post finem belli statuta desolatio [vel post prælium omnia manebunt desolata] Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis [vel super alam, vel apud alas stabunt abominationes desolationis] & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio [vel constitutum est, vt ad finem vsque perseueret desolatio.]

In hoc vaticinio & multa & miranda auditis, viri Hebræi, quæ egregiè vestros refutant errores. Primùm, quòd stante politia vestra venturum Meschiam affirmat. Quod si verum sit, qua spe nunc iacente republica aduenturum expectatis? Deinde beneficia Meschiæ recitantur, & mors ipsius prædicitur, & tempus mortis exprimitur. Et post hebdomadas, inquit, sexaginta duas, excidetur Meschias, ✝ Veëin lo. Hebdomadas autē illas annorum intelligendas esse non dierum, vel ipsi nobiscum Iudæi adsentiuntur.

Hebdomadæ Danielis.

✝ Veëin lo] hebraismus est, quo vita alicuius sublata hebraico Laconismo significatur.

Sunt igitur hebdomades sexaginta duæ anni 436. post quas sexaginta duas hebdomadas, in altera sequente hebdomada confirmabit testamentum suum doctrina, morte & resurrectione Meschias. In cuius hebdomadæ dimidio, finem imponet omnibus sacrificijs vestris, & oblationib' suo vnico sacrificio, & oblatione, quam Deo patri offeret in sua cruce.

Sed incidit interim non vna difficultas. Primùm de initio, & fine hebdomadarum vnde sit exordiendum, vbi

 desinendum

desinendum in digerenda supputatione non satis inter scriptores conuenit. Quidam principium hebdomadarũ inde repetunt, vbi septuaginta captiuitatis annos finiri dicunt, hoc est, à secundo Darij Histaspis anno. quorum est Clemens Alexandri. Theodoretus, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, nixi, vt videtur, verbis Zachariæ capite primo.

Clemens in libris strom. Eusebius in chronicis. Theodoret⁹ in caput I. Zachariæ. Hierony. in procemio super Aggæi cap. I. Augustin⁹ de Ciuitate libro 18.

Plures rursum id negant, quippe qui ab exitu sermonis, hoc est, ab eo edicto, quo Cyrus primo Monarchiæ suæ anno Israelitas remisit in patriam, numerãdas septimanas censent. Porrò neque omnes eodem fine easdem claudũt. Alij enim a Cyro exorsi, eo tempore sistunt, quo Christus sub finem Augusti natus sit. Alij easdem vlteriùs ad baptismum & mortem Christi producunt. Rursusque qui à Dario supputant, eorum alij à secundo ipsius anno, nonnulli à sexto, quidam a vicesimo subducunt rationem. Sunt qui & ab ijs dissentientes alios apponunt calculos. Accedit præter hanc difficultatem & alia haud minùs implicita, & impedita obscuritas ex ambigua & perplexa arythmologia annorum, & regum, qui Cyro vsque ad Alexandrum successerunt. Quæ res vna omnium maximè incertam nobis reddit temporum horum comprehensionem. Prætereà qui à Cyro numerant, ne hi quidem omnes in numero ordinéque annorum concordãt. Quorum alij annos colligunt ad natum Christum quingentos & quadraginta: nonnulli supputant 501: alijque aliter aut plures dinumerãt, aut pauciores. Denique cum ex probatissimis quibusque autoribus compertum sit, reges quatuordecim, aut ad minus tredecim Persicæ monarchiæ vsque ad Alexandrum imperasse, Iudæi solos quatuor constituunt. sed hi vt ignari omnis historiæ externæ, longissimè ab hac disceptatione sunt remouendi.

Sunt deinde, qui Cyro post susceptam monarchiam annos 20. alii septem tantùm tribuunt. Inter Cyrum & Darium Assyrium quidã Cambysem solùm ponunt, eique addicunt annos viginti. Secundum alios prætermisso Cambyse, alius nescio quis Assuerus inter Cyrum & Darium

rium medius inseritur, cui addunt annos item 20. Iam de tota illa duratione imperij Persici non minima oritur inter doctos controuersia, dum alij annos huic monarchiæ 130 ascribunt: alij verò ducentos duobus tantùm minus, alijs alia magis placet subductio.

Porrò quod ad catalogum attinet regum Persicorum, quum plærique ex nostris Longimanum esse putant, sub quo cœptum sit ædificari templum in Hierusalem, cumque tertio aut quarto loco à Cyro ponunt: Hieronymus quartum locum assignat Dario, Longimanum verò ad septimum ordinem reijcit. Breuiter in omni historia haud aliud ferè est, in quo maiore ambiguitate collidunt inter se scriptorum, tum Græcorum, tum Latinorum sententiæ. Autorum singula proferre nomina permolestum fuerit: singulorum excutere rationes, multò molestius. In tanta incertitudine certum aliquid statuere, nec meum est, nec esse velim, nec opus esse censeo. Præsertim quum recens hæc nostra ætas tam multos nuper emiserit, qui accuratissimè perspectis, collatisque veterum scriptorum monumentis, operam in hac re non inutilem posuerunt. Qui etsi nec ipsi per omnia conueniunt, at ijdem priscorum tamen adiuti commentarijs minùs aliquantò aberrare à scopo videntur. *Variæ multorũ opiniones in supputatione hebdomadarum.*

Philippus vir cùm in cæteris excellens disciplinis, tum in historijs pulcherrimè versatus, & graui iudicio prędítus duplicem adfert supputationem. Quarum altera à Cyro ad natalem Christi diem: altera à Longimano, quem ipse vocat, ad Christum passum & resuscitatum hebdomadas producit. nimirum vt cui altera minùs placeat ratio, alterā sequatur. Quarum tamen vtramque reijcit Ioannes Caluinus, hoc argumento, quòd neque à Lõgimano primùm ineundam hanc numerationem, neque in natiuitate Christi finiendam putat. Ac rectè quidem illud Caluinus pro singulari doctrinæ & mentis acumine existimat. *Philippus. Mel.* *Ioan. Caluĩ.*

Cùm enim hebdomades hæ tempus integrum illud necessariò cõplectantur à prima populi reddita libertate

 ad

ad vltimam peccati expiationem sub Meschia Seruatore: Certum est neque Cyri tempus ab hac deductione secludi (quum Esaias capite 45. Cyrum nominatim captiuitatis assertorem designat.) Neque rursus finiri ante expletum plenæ redemptionis nostræ negotium easdem potuisse. Non immeritò igitur Caluinus ab his, qui numerant solùm a secundo Darij anno, dissentit. Cuius calculo & ipse non illibenter applauderem, si modò ille totum hoc annorum spacium, quod inter egressum sermonis, & Christi excessum interfluxerat, quo modo ad iustam illam hebdomadarum rationem quadraret, plenè explicatéque edisseruisset. Nunc verò quum anni illi qui medij interfluxerant, ex liquidissimis historijs, si ad calculum reuocentur, annos supra quingentos triginta contineant, quo modo ad hâc amussim côueniet Caluini ratio, haud immeritò dubitari possit. Cæterũ scrupulũ hunc nobis amolietur vtcunque fortasse Matth. Beroaldus in Chronologica sua demôstratione, qui à Cyro etiam ducto numerandi initio, ad excessum Christi, annos, qui intermedio hoc spatio effluxerât, iuxta Caluini computationem ad septuaginta has Danielis hebdomadas, hoc est, ad annos 490. siue ad decem Iubilæos reducit. Idem ex Neotericis facit & Gerardus Mercator, si modò illorum notationi credendum sit.

Esa.cap.45.

Mat. Beroaldus.

Gerardus Mercator.

At quid isti contrà reliquis respondebunt chronographis? quid Constantino Phrygioni, qui à Cyro ad crucem Christi annos colligit. 544? quid Ioanni Lucido & Ioanni Fûnctio, quorum alter longè infra Cyrum à vicesimo Darij, alter a septimo eiusdem anno hebdomadas supputans, annos metitur 490. Idem propemodum facit ex nostris & Bibliander. vt cæteros eius notæ innumeros ne recenseam, qui plures reddunt annos à Cyro, ad sacram Christi mortem, quàm quos ex Beroaldo & alijs repetiuimus, rectène an secus, non hic definio.

Constantin. Phrygio.

Ioan. Lucid.

Ioan. Funct.

Bibliander.

Quid ergò, inquiet aliquis, in tam dissono choro vocũ, & opinionũ, quid certi nobis statuetur, in hac sabbatorũ notatione? Huic vt paucis occurram elẽcho: Primùm non

pendet

pēdet ex iudicijs humanis diuinę veritatis certitudo. Vt vt fluctuant, aut pugnant hominū inter se sententiæ, tanquā horologia: dies ipsa à recto cursu aberrabit nunquam, nec fallere vnquam poterit, quod promittit diuini oraculi fides. Etsi in minutijs fortasse quibusdam dierum, aut mensium, vel à vero aberrant, vel inter se non perfectissimè congruunt scriptorum annales, tamen quod ad rei summam attinet, minimè id magni refert: neque valde mirandum in tanta temporum vetustate, tātáque vetustatis caligine existimo. prætereà vt variè discrepent dissentientium inter se multorum opiniones, hæc tamen ipsa varietas neque ita magna existit, nec causæ, quam agimus, ita multùm incommodat. Siue enim à Cyro, vt quidam volunt, siue vt alij, à Dario ducantur hebdomades, siue ad natum Christum, siue ad cædem ipsius referantur: siue Darius Assyrius, siue Longimanus is fuit, cuius anno sexto reconcinnata, absolutáque est templi architectura: in hoc tamen summa omniū consensione omnes conspirant sententiæ, tum veterum, tum recentioris memoriæ scriptorum, hebdomadas has in neminem posse alium quenquam competere, pręterquam in Christum Meschiam, illum ipsū, inquam, Meschiam, qui ex virgine natus sub imperio Augusti, posteà sub Pontio Pilato crucifixus est, idemque tertio pòst die vitæ est restitutus.

Atque hactenus quæ hominum doctorum in ferendis calculis diuersitas fuerit, commonstratum est. Qui tamen in ipsa rei summa haud multùm inter se dissiliūt. Tantùm in eo omnis hæret controuersia, vtrum ad natum Christum, an ad eius obitum, hebdomadarum supputatio intelligatur. Sed quid hoc ad rem magnoperè? Illud interim certum, vnáque omnium voce testatissimum est, quod quidem ad locum ipsum Prophetæ, ac Prophetiæ materiam attinet, nihil existere in toti⁹ Scripturæ diuinæ contextu, quod contra vos (viri Hebræi) euidētiùs, quod pro fide nostra pugnet fortiùs, quàm hoc ipsum Danielis testimonium. Quo hebdomades septuaginta super populū illū vestrū expressissimè ab Angelo definiuntur. Quas

 rursus

rursus hebdomadas idem Angelus recolligens, eas in tres distinctos ordines distribuit. Quorum primus ordo septē hebdomadas: Alter sexaginta duas: Tertius vnam hebdomadam, quæ vltima sit & septuagesima, contineat. In qua postrema septimana, futurum significat, vt vngatur sanctus sanctorum, atque occidatur, finemque imponat peccato, & legalibus pro peccato sacrificijs: quibus perfectis rebus, & decurso hebdomadarū numero, posteà corruet ciuitas & funditùs dissipabitur. Quo autē ordine, & temporum articulis singula hæc gerentur, repetita hac, quam dixi, hebdomadarum distributione, Prophetam edocet Angelus, vt hic sit Prophetiæ sensus.

Locus Danielis cap. 9 explicatus.

Quoniam tanta te tenet (Daniel) patriæ tuæ charitas & solicitudo, qui Deo tam eximiè charus sis, visū est illi precationem tuam in ipso mox initio exaudire, simulque hanc ad te suæ voluntatis legationem mittere, me nuncio, vt certiorem te reddam eorum, quæ ad populum tuum totumque regni statum pertineant: futurum est enim voluntate ac permissu Domini, vt plebs ista nunc captiua iterum in patriam redeat, ciuitásq; cum Sanctuario in integrum restituatur, atq; pristinæ dignitatis suæ gradū recuperet. Qua demum constituta republica si scire vis, quousque ea permansura sit, quemq; habitura exitū, quæ quantæque res in ea gerendæ sunt, sic intellige. Hebdomadas septuaginta super politiam hanc conclusas ac definitas esse. Quæ si in sabbata annorum, aut in Iubilæos decem deducantur, annos septies septuaginta, hoc est, 490 efficiunt. Tot enim annos ea duratura est respublica quousque finem accipiat præuaricatio omnisque tollatur peccati maledictio, etiámque sacrificia omnia pro peccato, & adducatur iustitia sempiterna, & compleantur quæcunque per Prophetas & visiones prænunciata fuerint. Denique quousque vngatur sanctus sanctorum.

Nam vt eius causa cœpta est primùm huius reipubli. constitutio: ita eadem prorsus aboleri, nisi Meschia priùs manifestato, non potest.

Hebdomadarum distinctio.

Dixi de septuaginta hebdomadibus, in quibus considerand

deranda sunt tria seorsum tempora, vt ordinem rerum gerendarũ rectè distinctéq; intelligas. Hebdomades septem. Hebdomades sexaginta duæ. Et vna hebdomada. In septẽ prioribus, totũ illud tẽpus continetur quod à iactis secũdi templi fundamentis, ad eius consummationem interfluet. Tot enim annos à primo Cyri, ad septimum aut octauum Darij annũ reperientur, quousq; absolutũ omnib9 numeris hoc fuerit templi opificium, qui anni erunt 49. Rursus sexaginta duabus hebdomadis reliquum temporis spacium designatur, quo post expletam ciuitatis & domorum structuram (quæ completa est anno Darij Assyrij siue Artaxerxis 32) nasciturus est Meschias Domin9 in ciuitate Dauid. Porrò altera illa, quæ superest, hebdomas continet vnctionem, prædicationem, manifestationem, & mortẽ Meschiæ, eáque quę mortem eius consequentur. In cuius quidem hebdomadæ medio occidetur Meschias, anno videlicet post baptismum & vnctionem tertio cum alterius dimidio. In qua morte consummabit ille mysterium humanę redẽptionis toties à Prophetis prędictum & præfiguratum.

Septem hebdomades.

Sexaginta duæ hebdomades.

Vna hebdomada.

Dimidium hebdomadæ

Residuum hebdomadis spectat ad prædicationem Apostolorum, ad vocationem gentium, ad pactum feriendum cum multis, ad antiquandam circumcisionem, & externa legis sacrificia abroganda: ad stabiliendam peccatorum remissionem gratuitam, vitęque & resurrectionis certam promissionem. Quę omnia in vna hac hebdomada impleta sunt: hoc est, in septem illis postremis annis, quib9 vngetur Meschias, occidetur, resurget, ascendet, spiritum sanctum in ecclesiam diffundet, gentes vocabit ad gratiam Euangelij. Quam vltimam hebdomadam si adieceris superioribus, consurgent hebdomades 70. anni videlicet 490.

Tot enim annis gentem hanc peculiari sua beneuolentia prosecutus est DEVS Israel: non sua ipsorum causa, sed solùm Filij sui, qui ex hac gente & tribu producendus erat. Superest nunc vt annorum numeros cum historijs, rerumque gestarum temporibus confe-

Templi ædificatio. conferamus. Primùm illud constat à primo Cyri anno laxatam populi captiuitatẽ, iactaq; fuisse templi fundamenta, quæ diu interturbata ædificatio, demùm anno Darij sexto aut septimo, ad summum perducebatur. Absoluto tandem templi ædificio, demùm anno vicesimo eiusdem regis *2.Es.ca.12.* missus est Nehemias cum plena potestate ciuitatem reficiendi. In quo ipso anno murus completus est vicesimo quinto die mensis Elul, quinquaginta duobus diebus, *2.Es.ca.6.7* 2.Esdras. capite sexto, at domus nondum ædificatæ: quẽadmodum capite septimo liquet. Huic posteà operi dati sunt anni duodecim: quod capite eiusdem libri quinto nõ *2.Esd cap.5* obscurè apparet. Vbi in hæc verba loquentem Nehemiam audimus: Ab anno, inquit, vicesimo, vsque ad annum tricesimum secundũ Artaxerxis regis, ꝑ annos duodecim ego & fratres mei annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus &c. Tot itaque annis constitit vrbis illius & tectorum extructio. Nam ita prius constitutum legimus à *2.Es.cap.2.* Nehemia, vt perfecto negotio, ipse ad regem & reginam reuerteretur.

Hæc de nono capite Danielis. Quanquam & alia complura suppetunt ex eodem Daniele vaticinia, quæ *Dan. cap.2.* nihilominus regnum Meschiæ, & regni etiam tempus nobis depingunt ob oculos. Veluti illud de lapide, qui sine manibus de monte magno resectus, atque in statuam quatuor mundi monarchias referentem, insiliens, & caput, & pectus, & tibias, & pedes imaginis ita comminuit, vt nullum illius reliquum esset vestigium: lapis verò ipse in montem excreuit immensum, compleuitque vniuersam terram.

At quid hæc omnia sibi volunt? Primùm lapis sine manibus excisus, atque de monte magno defluens? quid statuæ concussio & comminutio? quid mons magnus? quid lapidis grandescens in tantam immensitatem magnitudo, vt ipsa magnitudine, obrutis reliquis mundi regnis orbem occuparet vniuersũ: quorsum hęc inquã omnia tendunt, quid volunt, aut representant aliud, quàm quod

eueniſſe

euenisse in Dei filio clarissimè cernimus? Quippe qui de summo delapsus cœlo in virginis sinum, natusque citra virilem omnem operam ex matre, solus sine hominis cuiusquam adminiculo, & mundi & tartari vires opesq; omnes tacendo deuicit, patiendo perfregit, moriendo subiugauit, suisque regnum patefecit sempiternæ felicitatis, quod sua diuturnitate, cætera huius mundi omnia superabit. Namq; cætera quidem hæc mundi imperia ex se fluxa & caduca tempore exolescunt, seseque mutuo collidunt. Solum hoc regnum, quod sine manibus exuscitat Deus cœli, nulla vi dissipabitur, nec diuturnitate veterascet, nec vlla potentia humana expugnabitur: sed cōminuet & consumet diuturnitate sua vniuersa regna hæc, ipsumque stabit inæternū. Quin nec vno in loco regni huius maiestas à Propheta promittitur, ac neque promittitur solùm: sed quo etiam tempore aduentura sit, cōmonstratur: vt non immeritò in Danielem hunc competat Iosephi vestri encomium, quòd nō solùm, vt ait, futura ille, sicut alij prophetę, prænūciat, sed etiam tempus velut digito monstrat, quo hæc necesse sit adimpleri, &c.

Regnū Christi solum inter omnia regna sempiternum.

Ioseph. lib. Antiquit. 10. cap. 14.

Possem ex eodem Daniele multa, itemque ex alijs alia referre. Quid enim vniuersæ scripturæ propheticæ volumen à capite libri aliud ferè prædicat, quàm Christū, regnumque eius, in carne quidem obscurum, in spiritu verò gloriosum? Quid Ionas de ventre Ceti die tertio redditus, nisi Christum resurgentem? Quid Elias igneo curru in cœlum subuectus, nisi Christum nubes scandentem? Quid serpens æneus, nisi crucifixum? Quid Dauid rex tot pulsatus ærumnis, nisi Christum in hoc sæculo afflictū? Quid Moses, nisi liberantem? Quid Iosuah, nisi de hostibus triumphantem? Quid Ioseph regali imperio cuncta gubernans & dispensans apud Aegyptios, nisi Meschiā omnia in cœlis moderantem representat? Perlongum foret per singula prophetarum mysteria circumferri. Addam his locū vnum aut alterum ex Malachia Propheta.

Malachias.

Qui cum Daniele, & Paulo nostro aptissimè cōsentiens, non modò de gentis vestræ abdicatione prophetat, sed

causas

causas etiam reddit, cur Deus vos habuerit fastidio. Sic enim ex Malachia atque item ex Daniele apparet: Voluisse Deum hanc politiam deleri, tum vt esset exemplum diuinæ seueritatis aduersus impios, tum verò hoc maximè nomine, quia aliter non potuisset eximi persuasio illa hominibus de iusticia legis, circumcisionis, & sacrificiorum, si ea perdurasset politia. Voluit proinde in eo Dominus ostendere, ritus illos externos non esse iusticiam: neque iusticiam legis, eam esse iusticiam, de qua concionantur promissiones. Sed audiamus Malachiæ verba: Non est mihi, inquit, voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis, vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.

Causa cur necesse erat deleri politiam Iudaicam.

Mala. cap. 1

Cùm multa vos admonere possit & debeat hæc Malachiæ concio (viri Hebræi) tum tria potissimùm hîc obseruanda succurrunt. Primùm, quod ad vos ipsos Iudæos: Deinde, quod ad sacrificia vestra: Postremò, quod ad locum ipsum sacrificandi attinet. Etenim hæc omnia promittit Dominus se nouaturum: vt nulla iam vobis restet omnino gloriandi materia, neque de stirpe, neque de cultu, neque de templo ipso, aut victimis, & sacrificijs vestris, quãdoquidem hæc iam noua futura, & in alios transferenda auditis. Id quod alibi etiam per Esaiam verbis non obscuris idem confirmat spiritus: Ecce ego, inquit, creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor. Et rursus alibi: Et interficiet te Dominus, & seruos suos vocabit nomine alio, &c. Diuersa verba, at idem sensus, minimè discrepans à verbis Malachiæ: Non est mihi voluntas in vobis. An non auditis reiectionem hîc vestram gens superba? Atqui ne putetis Domino defuturam plebem, etiamsi vos ab Olea excluserit, subiungit illicò: Magnum est nomen meum in Gentibus.

Tria in verbis Malachiæ obseruanda.

1. Populus
2. Locus.
3. Cultus.

Esa. cap. 65.

Locus Malachiæ explanatus.

DIXIMUS de populo: Accipite nunc de loco & sede vestra, qua ipsi superbitis tantoperè. Pergit itaq; Malachias: In

In omni loco offertur nomini meo, ab ortu solis, vsque ad „
occasum: quasi dicat: Vos Iudæi ita affixi estis vnico huic „
Sanctuario, & templo Domini, quod ille aliquando apud vos posuit, acsi nusquam præterea colendus sit ille, nec sacrificia ei vsquam offerenda sint, præterquam apud vos solos. Eoque nomine frustrà inflati mente carnis vestræ perinde gloriamini, cæterosque fastiditis mortales, quasi vos soli Deum possideatis: velutque singulari fauoris priuilegio ita vobis vnicè deuinctum, atque intra templi illius parietes conclusum teneatis, vt nusquam possit ille aut velit vos, vestrasque sedes deserere. Verùm ne quid erret cæca mens vestra nimium sibi ipsi in re falsa blandiens, hoc vobis admonendi gratia, prædictum velim, vobisque iam antè denuncio: Diuini numinis cultum nec locis, nec temporibus, nec personis vllis deuinciri. Siue Iudæi, siue Gentes sint, siue Scythæ, siue Indi, nullum hominum genus à sua cura sciunctum diuina repellit philanthropia. Vbicunque timetur nomē illius, & numen adoratur, æquè propensus ille in omnes existit. Idq; adeò quò magis intelligatis hoc vobis ex verbo Domini prædico futurum aliquando, vt vobis ipsis Iudæis, magna quidem ex parte repudiatis, prorsusque deserto hoc sacrario, quo vos tam superbè gloriamini, Deus se aliò transferet, non in vno orbis angulo apud Iudæos solùm: sed in omni loco, per omnes linguas & nationes quaquauersum ab ortu solis vsq; ad occasum nominis sui gloriam & cultū propagaturus. Magnū enim nomen meum in Gentibus, dicit exercituum Dominus. Habetis hactenus de populo prophetantē Malachiā.

Deus nullis deuinctus locis, nec personis Gentium.

Superest tertio loco, vt de sacrificijs videamus: Quoniam & hæc quoque commutanda apertè testatur Propheta, sic inquiens: In Gentibus atque in omni loco sa- „
crificatur & offertur nomini meo oblatio mūda, &c. Agè, „
& quę tādem sunt Gentiū oblationes istæ, quas ita prædicat propheta? Num hircorū aut vitulorū? Vitulorum certè, sed talium, quales commemorat alicubi Oseas: Et vitulos, inquit, reddemus labiorū nostrorū. Videlicet hi vituli sunt, quib. nunc delectatur Dominus. Hos offerimus, quū nostrā agnos-

Oseas cap. 14.

agnoſcentes iniuſticiam diuinæ clemétiæ gratias agimus, qui condonatis peccatis per filij ſui mortem, vitam nobis diſpenſat immortalem. Hæ ſpirituales ſunt Gentium victimæ, plurimùm à Iudaicis illis diſſidentes: quæ ſpiritu conſtant, non mactatione pecudum, non carnium nidore, non cruentis ſacerdotum manibus peraguntur. Quocirca mundas eas vocat Propheta. Agè, & cur mundas iſtas magis, quàm Iudæorum? Quid an eorum igitur immundas fuiſſe victimas? an polluta ſacrificia dicemus? Etſi verbis id apertè propheta non exprimit, qui ſenſum tamen verborum ritè appendit, facile comperiet prophetam, hoc ipſo, quòd Gentium oblationes mundas dicit, tacito indicio Iudaica ſacrificia cum illis collata notaſſe impuritatis.

Sacrificia quæ munda quæ immunda.

Obiectio.

Sed hîc rurſum excipiet veſtrum forſan aliquis: Quid an non à Deo primùm hæc ſunt inſtituta ſacrificia, & per Moſen nobis præſcripta? An non in ijs vituli etiam labiorum, & gratiarum hymni, & peccatorum expiationes continebantur? An quicquam poſſit ab hoc proficiſci autore, quod non omnibus modis purum exiſtat, & incontaminatum? Vt his reſpondeam: A Deo quidem ſummo nomotheta hæc ſacrificia vel preſcripta vobis, vel permiſſa minimè diffitemur. Sed quo conſilio, quo fine, quo tempore id factum, videndum eſt. Non vt veram præſtarent iuſticiam, ſed de ventura commonefacerent. Non vt ijs ceu fundamentis ſummam perfectæ pietatis ſtatueretis: ſed vt ijs ceu rudimẽtis vos interim exerceret Deus, donec proficeretis ad grandiora. Non quòd natura ſua ſummus ille ſpirituum pater mactatione pecudum, aut hauſto creaturarum ſanguine delectaretur: ſed ijs ceu typis & figuris filij ſui mortem præſignare voluit, quæ verè conſcientiam purificaret à peccatis. Non vt vos his perpetuò inſiſteretis: ſed ad tempus ſolùm permittebantur infantiæ veſtræ, ne vel cæterarum gentium imitatione in idololatriam rueretis: vel vt iſto pacto in aliqua ſaltem pædagogia diſciplinæ vos interim contineret, quoad dies doceret vos rectiora, veritaſque ipſa finem vmbris iſtis & ſacrificijs imponeret.

Dilutio.

In ſacrificiis legalibus mors Christi repræſentata.

Breui-

Breuiter vt verbis duobus rem expediam : Duo sunt potissimùm in hoc sacrificiorum genere aduertenda, vsus, & tempus. Si vsum requiritis, hoc præstabant sacrificia, nō vt populum Dei efficerent, sed vt seruirent tantùm ijs, quos Mosaica illa collegerat Synagoga: non vt salutem his conferrent: sed vt eum designarent, in quo vera esset salus, simulque vt vmbram quādam externam præferrent, ad internam animi colendam mundiciem. Eaque causa pecudes non nisi quæ mundæ essent, sacrificijs parabantur, quarum admonitu veteris Synagogæ populus, quid ipsis in vita sequendum esset, edoceretur. Secundo loco, quod ad tempus attinet, illud cōsiderandum, victimas has legales non eò institutas esse, vt desisterent nūquam, quēadmodum nec templum ipsum in hoc figebatur, ne vnquā dirueretur, quasiq; eo diruto, omnis illico Dei cultus concideret. Sed ad tempus data hæc fuerant, non vt æterna forent, sed temporaria : vigerentque tam diu tanquam exercitia quædam & progymnasmata externæ disciplinæ causa, donec veniret semen, cui promittebatur. Itaque pro temporis illius ratione Dominus sacrificia hæc diu laborans sustinuit: habebantque illa vsum aliquem suum, nec impura censebantur. Nunc verò mutata temporis ratione, postquam veritas ipsa orbi affulsit, ortusque sit sol iusticiæ, nec tempus, nec vsum vllum ampliùs habent carnales hæ sacrificiorum mactationes.

In sacrificiis Iudaicis duo spectanda: Vsus. Tempus.

Vsus sacrificiorum veterum.

Tempus sacrificiorum considerandum.

Quid enim vmbris opus, vbi corpus venerit? Quis tædas ac faces accenderit, splendescente meridie? Quis tenebras in luce, noctem in die desideret? Quòd olim permittebatur laniena hæc victimarum, dabatur hoc vel infantiæ, vel duritiæ vestræ, quò sic exerceret vos Dominus spectaculis istiusmodi, signisque visibilibus, ad veram criminum expiationem, quæ esset secutura. Nunc, simulatq; ad res ipsas peruentum sit, eò fit, vt quæ tempore olim pura censebantur, eadem rursus tempore non solùm impura fiant, sed etiam abominanda.

Hæc quum ita habent (viri Israelitæ) quemadmodum ex Malachia, cæterisque prophetis lucidissimè vobis constare

Sacrificia Iudaica abolita.

stare possit, quæ hæc dementia est, vos pristinas sedes, antiquum templum, carnales cultus, vetusta sacrificia adhuc somniare? Quibus interim, vt id fingendo donemus, fieri aliquando posse, vt Hierosolymam iterum vestram recuperetis, quod tamen nunquam futurum est, nisi Deus ipse omnesque cum eo mentiantur Prophetæ: scire tum istud à vobis expeto, quid illic demum facturi? Templum inprimis restaurandum curabitis: quid ita? vt Deum ibidẽ pristino more vestro celebretis? quasi verò nusquam celebrari possit vniuersorum ille Dominus, nisi vno duntaxat orbis angulo, nempe Hierosolymis. At quomodo interim verum erit, quod Dominus exercituum per Malachiã prophetam futurũ annũnciat, vt in omni loco sacrificetur nomini ipsius, ab ortu solis, vsq; ad occasum: si vos intra vnius Templi angustias, tanquam intra cancellos cultum illius omnem contrahitis? Peto prætereà, quo tandem sacrificij genere in templo hoc Deum vobis placabitis? Sanguine videlicet, & mactatione hostiarum. At vbi tum oblatio illa munda, cuius meminit Malachias, quæ non pecudum credo laniena constat, sed spiritualibus sacrificijs?

Verus Dei cultus nulli loco nec personis alligatus.

Oblatio munda.

Postremò, quibus argumentis id docebitis, cultum diuini numinis ad vos magis Iudæos, quàm ad cæteros pertinere mortales, præsertim quum testis contra vos locupletissimus accedat Malachias: Qui relictis Iudæis, magnum Dei nomen futurum prophetat in Gentibus? Quid illud, quod mox in sequente capite, idem Malachias de signis venturi Meschiæ edisserens promittit? prius adfuturum nũcium ipsius prodromon, qui viam ante faciem Domini præstruat? Et statim, inquit, veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Quid & non venit, qui promittebatur? An non audita illius vox est? an non in deserto etiam audita, iuxta prophetam Esaiam, clamantis quanto potuit spiritu, vt pararetis viam Domino, vt rectas faceretis semitas Dei vestri? Cur non parastis igitur? cur non admisistis aduentantem in Templum sanctum suum Angelũ testamenti, quem expetebatis? Imò cur è Synagogis vestris

Malach. cap. 3.

Esa. cap. 40.

stris explosistis, & exploditis quotidie, probris & cõtumelijs in Dominum debacchantes? Quod dignum satis his furoribus exitium referri potest?

Vt nec illud interim præteream, quod in calce capitis apud eundem prophetam attexitur, de die Domini magno & terribili, quem immissurus sit ille in omnes superbos, & impiè agentes: Quos vt flamma stipulam, ita dies illa ardens tanquam caminus vndique deuastabit, vt non relinquat in eis radicem aut germen. At hanc comminationem ad alios pertinere, nihil vos omnino attingere dicetis. Imò in vos ipsos quàm maximè recidisse hanc prophetiam & res ipsa indicat, & verba Prophetæ testantur manifestè: quæ mox in hunc modum subiungit, inquiens: Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus & terribilis, & reducet cor patrum in filios, & filiorum in patres, ne fortè veniam & percutiam terram anathemate. At quibus quæso mittendus est Elias iste, nisi vobis? Et quæ igitur terra percutienda, nisi vestra? Denique, quid designat vox addita anathematis, nisi supremam quandam cæterorum omnium panalothriam, exceptis duntaxat his, quos Elias reducturus sit ad vitæ melioris correctionem? Non enim ita repulit Deus populum suum, vt nullas reliquias saluas fecerit, quemadmodum superiùs ex D. Paulo commonstratum est.

Malach. cap. 4.

Sed desino pluribus vos oppugnare testimonijs, si vnũ, aut alterum addidero, ex Genesi primùm: Deinde ex Osea propheta. In quibus tamen neque prolixa opus fuerit explicatione. Quis enim rerum sacrarum tam imperitus, qui nesciat, quid sceptro illo intelligatur, quod Iacob Patriarcha fatidico oraculo nunquam auferendum à tribu Iehuda pronunciat? Et quis tandem ille, nisi de quo scribit Esaias? Ducem, inquiens, & præceptorem Gentibus dedi eum. Quod & Patriarcha licet alijs verbis, eodem tamen spiritu multò antè profitetur, quum ait: Et illi Gentes adhærebunt. Atqui id temporis nullum adhuc vigebat sceptrum in Israel. Sed iam antè præsentiens pius senex,

Genes. cap. 49.

quid

quid posteris euenturum erat, ita de Iehuda vaticinatur: " Non recedet sceptrum, seu virga imperij de Iehuda, & " scriba legis de subsellijs pedum eius, quousque veniat Si- " lo, & ad illum aggregatio gentium, &c. Vtcunque locum hunc ineptissimis cauillis eludere conantur rabulæ nonnulli Thalmudici: non poterit tamen, vt omnes rumpantur Rabbini isti recentiores, aliter torqueri sententia, quã vt duo hîc necessariò statuantur. Primùm vt ius regię dignitatis penès Iehudam, eiusque tribum resideat. Deinde vt hic principatus tam diu obtineat, quoad Meschias adueniat, cui sese aggregabunt gentes. In quem sensum interpretatur etiam Ionathas, cæterique qui Christi præcesserunt ætatem. Cuius verba, si quis requirat, in hunc habent modum: Non auferentur, vel recedent reges de domo Iehuda, neque deerunt docentes legem de filijs filiorum, vsque ad tempus, quo veniet Meschias, ad quem pertinet regnum. Et futuri sunt serui eius omnes reges terræ. quàm pulcher est Meschias, qui futurus est, vt consistat in domo Iehuda? Ligabit lumbos suos, & prodibit ad bellum contra hostes suos: & occisi erunt reges cum prin- " cipibus. Rubra faciet flumina à sanguine occisorum. Den- " tes dispositi in doctrina, ne edat per illos iniurias & rapi- " nam. Rubri erunt montes eius à vitibus, & torcularia à " vino. Dealbabuntur prata eius à multitudine fructuum, & " gregum, & ouium, &c. Hæc ex Ionatha recitare volui: quanquam nos Iudæorum commentis, est Deo gratia, ad mysteria diuinæ scripturę aperienda minimè indigemus, præsertim cum nullus sit scripturæ propheticæ interpres felicior, quàm tempus, rerumque expletarum experientia.

Thargum Hierosolymitanum, quod Ionathæ tribuitur in 49. Geneseos.

Oseas contra Israelẽ.

Ex Osea illud est, quod ex capite illius primo citandum, vobisque maximè Iudæis proponendum existimaui: Vbi " vates contra Israelem in hæc prophetat verba: Voca, in- " quit, nomen eius, Non populus meus: quia vos non estis " populus meus, nec ego ero vobis, &c. Ex quo clarissimè confirmatum cernitis per prophetam, quod D. Paulus hîc de ramis naturalibus prædicat, quos ex Olea defractos di-

cit.

cit. Et vbi nunc igitur (viri Iſraelitæ) ambitioſa illa de generis veſtri origine gloriatio? Quòd ſi tanti ſit apud Deũ, ex Abrahamo prognatos eſſe, quid ſibi ergo vult Iſraelitarum hæc apud prophetam repudiatio? quid Gẽtium, ſylueſtris videlicet Oleaſtri eorum loco electio? Ita enim apud Oſeam promiſſum audimus: Et erit, inquit, numerus filiorum Iſrael, quaſi arena maris, quæ non menſuratur, neque numeratur. Et erit in loco, vbi dicetur, Non populus meus vos, dicetur eis, Filij Dei viuentis. Vt numero & nomine cenſeantur filiorum Iſrael, qui natura Iſraelitæ non eſſent, magnum erat. Verùm vt filij vocentur Dei viuẽtis, qui priùs filij fuerãt diaboli, illud demum multo maximũ. Atque hoc tantum beneficium quibus tandem promittitur? Non vtique Iſraelitis, non Iudæis, nõ ijs, qui Dei eſſe videbantur, ſed qui à Deo ſeiuncti abeſſent lõgiſſimè, Gẽtibus nimirum barbaris & incircumciſis. Quas nihilo minùs diuina gratia reddet ſibi iunctiſſimos, atque in Oliuæ ſuæ radicem transferet, exectis interim natiuis ramis: quorum loco Gentes ex ſylueſtri Oleaſtro colliget, tanta multitudine & fœcunditate, vt non vnam modò Paleſtinã, ſed quæ inſtar arenæ maris, ab ortu ſolis vſque ad occaſum, longè lateque orbem vniuerſum repleant.

Oſea cap. 1.

Gentium vocatio ex Oſea.

Multitudo Gentium conuerſa, ſecundũ Prophetas.

Habetis nunc vaticinij ſententiam, quod ſi nondum adimpletum vobis per Euangelium Meſchiæ Seruatoris noſtri videatur, oculos, ſi quos habetis, pauliſper attollite, ac turbam eorum, qui vbique toto terrarum orbe verum Dei cultum profitentur, ſi poteſtis, dinumerate. Sin numerari à vobis nequeant præ multitudine, ex eo coniecturam facite (viri Hebræi) quo nunc in loco, quantoque in periculo res veſtrę verſentur, ſimulque quid vobis dehinc faciendũ ſit, imò magis quid hactenus feciſtis, cogitate. Miſit in mũdum Deus filium, ſemen mulieris, atq; ex virgine natum. Cuius, quum vos neque genus, nec locum vnde prodijt, nouiſtis, diuinamque eius potentiam in miraculis, ſummaque beneficia in ſanandis morbis, in profligandis dæmonijs admirabamini, amentia præcipites, inuidia ac malitia occæcati inſontem dediſtis exitio. Quid ni enim vos

dedisse dicam, quum quod à Maioribus vestris patratum sit, id ipsi studijs tantoperè comprobatis?

Iustissima cum Iudæis expostulatio

Habes ergo (infelix Iudæe) sanguinem innoxium accersitum in caput tuū, fruere. Habes regem Cæsarem Christo prælatum, fruere. Ac ne sic quidem resipiscis, nec agnoscis cæcitatem tuam. Adhuc spiras odium in regem Iudæorū, quem nos adoramus. Et quid tandem contra stimulum recalcitrando te profecturum censes? An nō vides vt omnia hactenus tua consilia Deus verterit in diuersum? Vides vt in caput tuum iniquitas tua descenderit? Vides te in foueam cecidisse, quam foderas? Vides Templum funditus dirutum, sic vt nec reliquiarum quicquam appareat, religionem penitus extinctam, sacerdotium, legem, principatum, vrbes, gentem, locum: breuiter nihil superesse præter paucos vagos & exules veteris insaniæ calamitatisque testes. Et hos ipsos non alia re incolumes, quàm Pauli commendatione, & Christianorum tolerantia. Atque interim ex ipsis malis, quum manifesta Dei ira in vos tantopere deseuiat, tanta tamen est animi cæcitas, vt nec tam insignis vexatio det intellectum auditui: adeoque non conquiescitis à peruersitate, vt inde facti sceleratiores videamini, vnde emendari oportebat. Quippe quum in Christo completum videtis, quod neque denegare potestis, quicquid de Meschia prædixerant Prophetæ vestri, quum ex Euāgelicis literis, & temporum historia discere liceat non alium esse Christum, quàm quem mundus nunc totus colit: quum oculis cernitis vos irrisos, non solùm à Deo, sed etiam ab omnibus mundi nationibus explosos, tamen adhuc maledicitis Christo in synagogis vestris, & Meschiam nescio quem alium expectatis, quem non videbitis, nisi in die iræ, quo die illum inuiti adspicietis, quem confixistis. Et quæ hæc tandem ceruicum duritia (viri Hebræi) vt neque tot vatum oracula, nec scripturarum expressa testimonia, neq; tot inflicta vobis, totiq; nationi vulnera, suppliciaq; inaudita quicquam permoueant ad pœnitentiam? In quos sic sæuitum est à victorib. Romanis, vt nec ætati, nec sexui parcitū sit, nec lapis relictus sit super lapidē. Deniq;

Horrenda Iudæorum calamitas.

Zachar. 12.

niq; sic relicta sit domus vestra deserta, vt nec ciuitatem, nec templum, nec regnũ, nec sacerdotiũ, nec populum, ac ne Prophetam quidem iam vllum, imò quod est omnium infelicissimum, nec oculos habeatis ad intuendum, nec aures ad audiendum, nec cor quo intelligatis, atque ad regem vestrum conuertamini.

Sed agitè, quæ hucusque præterierunt, vel ignorantiæ vestræ, vel vindictæ numinis propter incredulitatem vestram tribuantur, eò quòd tempus minimè cognouistis visitationis vestræ. Nunc tot modis prouocati ac reuocati ad sanam mentem, discite tandem ex prædicatione Euangelij CHRISTVM illum pacis, mansuetudinis, & humilitatis magistrum, solum eum esse à Deo patre datum, in cuius nomine salutem consequantur vniuersæ cognationes terræ, cui flecti oporteat omne genu. Hactenus erant tempora caliginis, quando & turpis idololatria aliquandiu nostra quoque templa obsederat. At nunc profligata magna quidem ex parte superstitione, & reddita Euangelicæ veritatis luce, redite & vos nobiscum pariter à cæca superstitione vestra ad veræ pietatis studium. Adorandus est quem vos persequimini. Salutem offert, cuius doctrinam abolere conamini. Quem vos vt hominem incessitis, in orbe toto Deus & homo colitur, vtcunque vobis ille despectui sit habitus, vti Ioseph olim reiectus à fratribus, in gloria est Dei Patris. Quem vos funditus extinctum putastis, salutem attulit Gentibus vniuersis, vt nulla sit peccatorum nunc remissio, nisi per mortem eius. Quem mortuum vos existimastis mortales, reuixit immortalis, victurus in æternum. Quem maiores vestri infra omnes homines deiecerant, quem vermem reddiderant, & proiectamentum plebis, eius nunc sublimitati omnis se submittit celsitudo cœli & terræ, vt rectè hîc locum habeat illud Esaiæ: Super ipsum cõtinebunt Reges os suum. Quem vos probrosa cruce dedecorastis, eadem crux illi versa est in gloriã, nobis in salutẽ, mundo in iudicium, hostib. in ruinã, redemptis in sempiternam lætitiam, vt & hîc rursus locum habeat Esaiæ vaticinatio:

Exhortatio ad Iudæos.

Esa. cap. 62.

 cinatio:

Esa. cap. 35. cinatio: Et lætitia, inquit, sempiterna super caput illorum, " fugiet dolor & gemitus. Denique cuius nomen patres aliquando vestri prorsus abolitum sperabant ex hominũ memoria, hoc ipsum illustrauit Deus supra gloriam angelorũ & hominum. Ad cuius nominis inuocationem reuiuiscunt mortui, sanantur ægri, contremiscunt dæmones, torquentur & fugiunt impuri spiritus, adorant angelicæ turmæ. Hæc quum obscura nemini esse possunt, quid vestræ accidit pertinaciæ, aut quam causam adferetis, miror, qui tot docti experimentis vanitatem adhuc diligitis vmbrarum, spretoque ipsissimo Dei filio, imaginarium nescio quem alium quęritis, quum verus Meschias aut nullus vnquã vobis venturus est, aut veri profectò prophetæ non fuerunt, qui nullum præter hunc alium vobis deliniarunt.

Offendiculũ Iudæorum. Sed illud fortassè offendiculum vobis parit, vt iterũ repetam, quod superiùs dictũ est, quòd humilis venit, quòd damnatus fuerit, quòd subactus in crucem, quòd mortuus, quòd sepultus. At hæc nisi in illum omnia conuenissent, Meschias esse nullo modo potuisset, mihi certè non esset. Cæterùm vos magnificum quendam regem expectatis. Agè, & quid quæso huic ad summam deesse potuit magnificentiam? quem ita exaltauit Dominus ad dextram omnipotentiæ suæ, ad cuius maiestatem vidistis obscurari solem, vidistis contremiscere terram, vidistis aperiri monumenta, vidistis dissilire saxa, Templi vidistis velum discindi. Hæc omnia, si non vidistis ipsi, at viderunt prisci maiores vestri, quæ hucusque inficiari nũquam potuerunt. Viderunt etiam infirmũ, dicetis. Fateor. Quid tum? at quàm potens illa fuit infirmitas, quàm gloriosa fuit ignominia, id non viderunt. Eodem modo & mortuum viderunt, at mortis huius mysterium minimè peruiderunt: quomodo visum est Domino per mortem vnius vitam parare omnibus: per crucis ignominiam Satanæ opprimere tyrannidem: per vnicum sacrificium finem omnibus sacrificijs & vmbris imponere. Vtiq; sic visum est patri in filio, humilitatis imaginem nobis proponere, sicque filium glorificare suum. Cuius gloriæ splendorem si agnoscitis, est vnde seruemini. Si non

non agnoſcitis, eſt vnde vtamini. Veſtram malitiam Deus vertet in gloriam filij ſui. Et velitis nolitis, intelligetis non eſſe conſilium hominum, quod valeat aduerſus conſilium Dei, non eſſe potentiam hominum, quæ quicquam poſſit aduerſus potentiam illius.

Atenim meliora de vobis ſpero. Quid ni enim ſperē: quū Paulum Apoſtolum de reductione veſtra tam bene ſperare videam? Quare agitè, viri Iudæi, quum Iudæi vocamini, hoc eſt, confitentes, Nolite pertinaciùs prophetis veſtris, nolite ampliùs euangelicæ veritati obſtrepere, vt ſyncera ſit aliquando & integra confeſſionis veſtræ profeſſio. Intelligite legem ſpiritualiter, iā incipietis verè id eſſe quod dicimini. Nolite deſperare ſalutē, quòd crucifixiſtis filium Dei: fuit error admixtus veſtro ſceleri. Non vult ille mortem peccatorum, ſed vt conuertantur & viuant. Nec quenquam ſubmouet à ſpe ſalutis, quamlibet enormis criminū magnitudo. Tātùm agnoſcite malum veſtrum. Fidite promiſſis Euangelij, & accipite gratis oblatam ſalutem. Grauis eſt in Deū contumelia, ſanctis non obtemperare prophetis. Multò grauior vim illis & necem intuliſſe. Omniū verò grauiſſima Seruatorem adegiſſe in crucem. Verùm omnium malorum obliuionem pollicetur, ſi reſipiſcatis modò. Nec id requirit vt hanc culpam multis holocauſtis expietis. Immolata eſt victima pro peccatis omnium. Tantùm agnoſcite veſtrum peccatum. Deſinite iactare iuſticiam veſtram, & in Filium Dei credite. Si Filius Dei nō fuit, patrem alium ei, ſi poteſtis, in terris oſtendite. Si Propheta non fuit, quo modo gentis veſtræ ruinam ille, quomodo reipub. lacerationem, ſtantemq; in loco ſancto abominationem, tot ante annos, non modò mente percipere, ſed verbis etiam atque ordine ſingula prænunciare? quomodo de reſurrectione ſua, & ſpiritus ſancti donatione vaticinari, quomodo de vocatione Gentium, alijſque tot tantiſque rebus, partim quæ cernūtur, partim quæ expectantur, certum ſcire potuiſſet? In quibus ſi quid fefellit illius vſquam prophetia, mendacem reuincite. Sin rerum euentus & euidentia verbis aſtruit certitudinem, quid vos remora-

Chriſti natura.

Chriſti vaticinia.

Christi miracula. tur ampliùs, quò minùs credatis veritati? Vt interim de stupendis miraculis nihil dicam, quæ si perfici humana vlla potestate potuissent, vbi similia vnquam vidistis, edocete. Sin verò naturæ humanæ vires omnes, vis tanta hæc, tamque inaudita superabat, hinc liquidò vobis constare poterit, quid de Diuina in eo tum potentia, tum natura sentiendum sit.

Precatio pro Iudæis. Verùm quando hæc, quæ sua natura diuina existunt, nõ humana constant persuasione, neque externis nituntur argumentis, sed Dei manum postulant, oro atque obtestor Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, per Filium vnigenitum, vt qui iusta olim animaduersione vos propter incredulitatem, è radice in qua nati estis, deturbauit, idem pro infinita pietate sua, qua potens est vos iterum inserere, efficiat tandem, vt sublato è cordibus vestris incredulitatis velamine, Christus Seruator ac Meschias vnicus affulgeat mentibus vestris, vosque iterum in natiuam radicem recolligat, hoc est, in familiam suam cum electis ipsius sanctis ad ęternæ felicitatis cõmunionem ac participationẽ Euãgelij sui reducat, vt sicut radix sancta sit: ita & rami pariter ad generis sui indolem redeuntes, per fidem denuò inserantur, vnde per incredulitatem defluxerant. Quod quò minùs etiam diffidam futurum esse, adeoque non ita procul abfuturum, haud leuem mihi benè sperandi materiam subministrat D. Paulus, qui in hac ipsa, quam de Iudæis instituit, concione, non modò animi sui sentẽtiam, sed & mysterium, velut ex arcano Dei sacrario, de felici ipsorum reuersione pandit manifestè.

Ad Gentes atque Christianos admonitio. Qua de re mox plura, annuente christo, dicentur, si priùs tamen reducta oratione ad eos, quos ex Gentibus vocauit Dominus, paucis admoneam charissimos mihi in Christo fratres, in ijs, quę sentiã. quanq̃ cur in hac orationis parte hæream prolixiùs, nihil video. Satis enim confido, vobis iamdudum hæc omnia animaduersa, atq; in animis recondita esse, quę de institutione officij vestri hîc admonet Apostolus, vt nihil sit opus nostra parænesi. Primùm quanta seueritate vsus sit Deus in suos, minimè vos ignorare arbitror.

tror. Eandem si in vos ipsos exercere voluisset, quid quæso obstitit? Id autẽ quò minùs fecerit, quid in causa? Ecquid in vobis fuisse putandum, in quo Iudaicæ genti vlla ex parte pręcelluistis? An non idẽ omnes fueramus aliquãdo, quod nunc plæriq; sunt Iudęi, hoc est, increduli Deo? Si eos propter incredulitatẽ reiecit Deus, cur nos ex Gentibus ęquè olim incredulos, in gratiã magis reciperet? Ex quo videtis, viri fratres, quemadmodũ mirabiliter, præter omnẽ spem humanã ludit in rebus humanis diuinæ electionis gratia. Quæ quemcunq; vult, cõmiseratur, & quẽ vult, indurat: vt iam non sit volentis, neq; currentis, vt quisquã salute potiatur, sed miserentis Dei. Quòd si nondum vobis perspectũ sit satis, Israelitas istos, quos dico, spectate, à Deo nunc desertos, olim dilectos, vosq́; illorum loco intromissos. Quid ita obsecro? Dices, fracti sunt natiui rami, vt ego insererer. Verũ quidẽ illud, quod eos fractos dicis: non tamen in tuã gratiã ô bone, sed ob ipsorũ incredulitatẽ. Et tamen hinc consecutũ est vt tu insercreris. Neq; verò istud falsũ, quod ais, sed aliud ego quæro: nempe, nõ an illi sint defracti: sed quid in te rei fuerat, quãobrem posthabitis natiuis ramis, tu in illorũ arborẽ succedere debuisses? Si naturã spectes, longè illi te natura, & loco, & tempore pręcedebant. Erant enim natu te grandiores: quo nomine ius eis potiùs debebatur primogenituræ. Si meritis res æstimetur, quãto studio & conatu iusticiam, quã tu contempseras, illi consectabantur, licet eò quò contendebant, minimè peruenerunt? Si zelum intuearis, nec defuit eis acerrimus zeli feruor, etsi feruori defuit scientia. Si vitæ honestatem, nulla virtutis parte gentes cum illis eramus comparandi. Si laboris grauitatem, aut ordinis conditionem respicias: æstũ illi totius diei portabant, erantq́ue tum primi, quum tu inter nouissimos vix serò venisti in vineam. Et tamen post hæc omnia, illos à sua stirpe, in qua nati sunt, reuulsos, te contrà, qui ex Oleastri radice & infrugifera stirpe prodieris, in ius filiorum Dei cooptatum vides.

In reiectione Iudæorum quid considerandum.

Quid hîc ergo dicetur? Num Deus vel ingratitudinis in suis deserendis, vel incõstantię in veteri mutãda pactione

Promiſſiones Dei nec locis nec perſonis alligatæ.

notandus? Abſit. Nunquã enim ille fidem ſuam vel locis, vel populis vllis obſtrinxit. Tantùm Abrahę pollicitus eſt, ex eo naſciturum ſemen, in quo omnes benedicendæ eſſent cognationes terræ: Non enim ait, In te benedicentur omnes gentes, ſed in ſemine tuo, in quo videlicet omnes vbicunque mortales ſalute donarentur æterna, quotquot ipſum recepturi eſſent. Contrà, qui aſpernarentur, nullo eos loco, nec numero futuros apud Deum. Semen hoc Filium eſſe Dei haud dubitandum, quem ſi Iudæi amplecterentur, non expertes eſſent promiſſionis. Nunc quũ recuſent, adeoq́ue morte eum & maledictis perſequuntur tam indignè, nihil eſt quod ſibi apud Deum vendicent, quũ nemini promiſit ille niſi in ſemine. At cur non datum hoc Iudæis perinde ac Gẽtibus, vt in Chriſtum crederent? Poterat hoc quidem à nobis quæri, ſi nõ id antè à prophetis præmonſtratum eſſet, vt Meſchiam ipſi ſuum faſtidirent & occiderent. Cuius rei ſi quis pergat adhuc curioſius cauſas perrimari, cur iſti ita cæcutiant in ijs, quæ Gentibus aperiuntur, minimè deeſſe poterit æqua & idonea reſponſio.

Cauſa neceſſaria cur abolita ſit Iudaici regni politia.

Cùm enim Iudęis penitus infixum eſſet, longaq; firmatum conſuetudine, nullam eſſe iuſticiam apud Deum, niſi quæ legis operibus, ſacrificijs, & ceremoniarum perfunctione cõſtaret: neq; aliter ex hominum animis eximi tam pertinax poterat opinio, niſi euerſa penitus cũ ſacrificijs & ceremonijs omnibus, Gentis totius & reipu. politia, hinc illa Iudæorum cæcitas, & demolitio, licet non omniũ quidem illa, nec eadem in perpetuum.

Sed graue interim iſtud, plenumq́ue ſeueritatis exemplum videbitur fortaſſè in miſeros Iſraelitas. Eſto quidẽ: ideoq; commodè nos monet D. Paulus, vt hanc ipſam in Deo ſeueritatem, atque non ſeueritatem ſolùm, ſed & bonitatem ſimul perpendamus. Quarum altera timorẽ Dei nobis incutiat: altera nos ad gratitudinem atque dilectionem meritò exuſcitet. Ac ſeueritatis quidem exemplũ in Iudæos proditum eſt, qui à priſtino ſtatu prolapſi in hanc cæcitatem deuenerunt, vt Chriſtum tot ſæculis expectatum, cõtumelijs inſectarentur. Benignitatis exemplum in nobis

Seueritas Dei.

Benignitas Dei.

nobis elucet Gentibus, quos gratis asciuit ille ad tam eximiæ felicitatis consortium, quæ nec generi nostro, nec vitæ meritis debebatur. Quæ quum ita sint, quid superest, viri fratres in Christo dilecti, nisi vt Apostolicum secuti consilium, proposito nobis Israelitarum exemplo, ab illorum casu discamus, quid nobis timendum, quid vitandum sit? Primùm vt eorum admoniti incredulitate, omnibus votis & precibus studeamus, necubi ad eundem impingamus incredulitatis lapidem. At quæ hæc, inquies, incredulitas ipsorum est? An non in vnum Deum credunt cœli & terræ conditorem, eumq́ue summè potentem, summè misericordem, ac iustissimum rectè factorum remuneratorem æquè nobiscũ confitentur? In prõptu est respõsio. Si nos aut Angeli, aut huiusmodi essem⁹ homines, qui aut impingere nõ poteram⁹, aut prolapsi nunquã fuissem⁹, sat nobis in hac fide esset præsidij, vt nihil opus mediatore foret. Nunc quãdo ex peccatorib⁹ ꝓgnati peccatores peccatis vndiq; obuoluti simus, cum Deo agere sine Redemptore, quid aliud est, quàm plagas nobis ipsis accersere, & damnationis iudicium exacuere: atque vt cum Esaia dicam, cum igne deuorante, & cum ardoribus habitare sempiternis? quid enim naturæ huic tam horribile, quàm cum Deo, sine Christo agere? quod Christus ipse Seruator longissimè à nobis auertat precor.

Exhortatio ad Gentes.

Obiectio.

Solutio.

Esa.33.

Res periculosa cum Deo agere sine redemptore.

Alterum est, ne in alienis malis stultè nobis ipsis placeamus. Dei donum, non humanum mathema, fides existit: ad quam si natura, si meritis, si legis obseruatione, aut ceremonijs, si genere ac nobilitate sanguinis perueniri vnquam potuisset, multò certè quàm nos priores Iudæi erant, & vocationi propiores. Nunc quum fides hæc Dei solùm gratia constet, & gratuitæ electionis dispensatione: id si propitio numinis fauore tibi contigit, quod cæteris sit denegatum, habes in eo, quod tuæ graturleris felicitati. Sed ne felicitas hæc ita cristas tibi erigat, vt aliorum insultes miserijs. Quin in his potiùs addiscas, quid ipse timeas. Quid autem timere oporteat, dicet tibi diuus Paulus (nemo rectiùs,) Noli, inquit, animos inflare, sed time.

In fide nemini superbiendum.

Si

" Si quidem Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè
" nec tibi parcat. Neque enim vel ipse, quisquis es, qui fide stas, ita stas vt labi non possis: Neque horum rursus ea incredulitas est, quæ vel omniũ sit, vel quæ perpetua existat, vel quæ sanari nõ possit. Nam vt complures esse diximus, qui Christum agnoscunt (quorum & iste ipse vnus est, quẽ præsentem hîc Iudæum cernitis) ita & reliquis qui adhuc iacent & calcãtur, potens est Dominus iterum misereri.

Atque vt non solùm quàm potens sit ille, sed quid velit etiã efficere: quidq; nobis bene sperare iubeat intelligatis, accipite quid idem Paulus hac de re non ipse modò speret, & sentiat, sed nobis etiã sub arcano mysterio communicet. Quos ille in hoc admonendos esse existimauit, ne qua nos gentes philautia inflati arrogantiùs de nobis sentiamus, quàm par est, quòd Iudæis prælati videamur: Idcirco hoc nos nescire noluit de cæcitate hac Iudęorum, quippe quæ neque vniuersim in omnes, sed ex parte contigit Israeli: neque eadem in æternum duratura, sed tantisper donec expletus fuerit gentium numerus. Atque ita demũ futurum prædicat, vt totus populus Israeliticus saluti restituatur. De reuocandis itaq; Iudæis constat, ni fallor, certa satis testificatio Apostoli. De temporis verò ratione haud perinde certò constat inter theologos. Cum venerit, inquit ille, plenitudo gentiũ. At quando hæc finietur plenitudo, soli videtur ei, qui in Euangelio dicit: Non vestrum est scire tempora, & temporum rationes, quas pater in sua posuit potestate: nisi fortè plenitudinem hãc ita velimus interpretari, vt tam diu persistat Iudæorum cæcitas, quàm durauit olim gẽtium (credentibus Iudæis) incredulitas: tumq́ue expletus gentium numerus videatur, quando gentes sine Iudæis totidem annos ecclesiam dei tenuerint, quot illi priùs sine gentibus Synagogam veterem possederunt, iuxta quem numerum haud multùm discrepat vtriusque temporis supputatio. Etenim iuxta hanc rationẽ si numeres à prima Iudaicæ reipub. institutione, ad eius demolitionem, annos reperies 1564. quos annos si contuleris cum eo annorum curriculo, quo primùm cœpit gentium

De reuocandis Iudæis prophetia D. Pauli.

Act. 1.

Plenitudo gentium.

gentium vocatio,hoc est,à misso spiritu sancto ad præsentē hunc annum,haud magna fuerit annorū distantia. Quanq̃ non ineptissimè is mihi plenitudinem hāc interpretari videbitur,quisquis eam accōmodat ad tēpora ea quę Dominus apud Lucam designat,ijs verbis: Et Ierusalem,inquit, calcabitur à gētibus donec impleātur tēpora nationū, &c. *Lu.21.*

Cæterū de annorum periodis, & momentis temporum viderit Dominus. Illud interim ex D. Paulo abūdè liquet, præfinitū sine dubio apud Deum tēpus esse,in quo & gentes suam habituræ sint plenitudinem, & Iudæi simul plena multitudine ad fidē redituri sint. Quod quò certiùs simul & maturiùs confidam futurū, non parua hinc animo meo spes accessit,postq̃ his nūc temporibus Christus Dominus tam felici successu ecclesias suas passim repurgare, eásque amoliri offensiones cœpit, quæ Iudæos à fidei nostræ communione tam diu retraxerint.

Querela aduersus idololatriā in templis Christianorum.

Quo in loco æquissima hîc mihi querendi præbetur materia aduersus eorum audaciam, quicunque fuerint, qui primùm statuas has & simulachra diuorum & diuarum contra præscriptam Dei legem, præter rationem, & naturam, contra morem priscorum, contra exempla omnia Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum, in sacraria Christianorum inuexerūt,cultúmq; Dei inuisibilis, in visibiliū rerū imagines traducere sunt ausi. Ex quo quū multa fluxerunt nobis incōmoda, tum nihil profectò grauius, q̃ quòd Iudæos hac eadem nostra eicolatria, artolatria,oinolatria,staurolatria,signis, & visibilium creaturarū cultu à recta Christianæ fidei professione hactenus remorati sumus. Nam quid mirandum,si Iudæi,qui ex Legis diuinæ præscripto abhorrere à simulachrorū cultu doceantur, ingressi Christianorum templa, in his conspiciant parietes,partesq; templi omnes pictis,fictisque idolis refertas, videantque præter infinitam imaginum, quas colimus,multitudinem, non crucis solùm, sed & vini & panis symbola non ad vsum,sed ad cultum ꝓstituta: non ad actionem,sed ad adorationem ostentari,quid mirum,inquam, si manifesta offensi idololatria, tum à nobis, tum à fidei

nostræ disciplina hucusque resilierint.

Reformatio ecclesiæ bonis auspicijs bene cœpta apud Christianos.

Sed bene habet, Christóq; habetur gratiæ, quãdo detersis ijs nũc scandalis, & profligata multis in locis pseudolatria, in natiuam rursus puritatem res redeãt Christianorum, vt iam nihil in templis, nihil in cultu, nihil in doctrina vsquã appareat, quod Iudæos quamlibet nobis inimicos meritò perturbet. Atque vtinam omnes passim Christiani pari conatu in id incumberent, nequid vsquam reperiri possit in templis, in moribus nostris, quod Iudæis vllam moueat offensionem. Illud profectò nimis dolendum, quod quum in Christo, quem profitemur, nihil reperiant hostes isti, quod iure carpant, in nobis nihil ferè deprehendant, quod non à verbi ipsius rectitudine, eiusq; religionis, quam profitemur, archetypo longissimè dissiliat.

Sed desino in hanc camerinam altius insilire. Longior est querela, quàm vt huic tempori aut instituto conueniat. Nunc quoniam ad Iudæorum solùm conuersionem tota hæc comparata sit oratio: nec vlla spes alia apparet apud eos proficiẽdi, nisi castigatis priùs ijs, quibus assentiri nullo modo possunt, superstitionũ nostrarũ corruptelis, quid nobis hic potissimùm faciendum, fratres, patres in Christo celeberrimi, nisi vt pro sua quisq; sedulitate, strenuã in eo omnes nauemus operam, nequid committamus, quamobrem Christi religio, quam is simplicissimam reliquit, nostra culpa in odium & blasphemiam vocetur apud Iudæos, Turcas, & paganos infideles. Non hìc ago de sopiẽdis dogmatum controuersijs, quod fieri non potest, aut ambiguis quæstionum pugnis, quas diatribis relinquo Theologorũ. Tantùm hoc mea attingit petitio, saltem vt crassa illa idololatriæ monumenta, vt phasmata hæc, & plasmata signorum & imaginum, & theatrica in templis spectacula, vt hominum mortuorum inuocationes (quibus nec Iudæi ipsi vnquam assueuerant) vt symbolorum cultus, vt interdictũ sacerdotibus coniugium, hócq; genus consimilia, quæ aduersa fronte pugnant cum verbo Dei, & sensu propemodũ cõmuni, è templis & consuetudine Christianorum pellantur, quò faciliùs Iudæis & Turcis, aditum ad capessẽdã notitiam

De reformandis ecclesiis consilium.

titiam

titiam filij Dei patefaciamus. Aut si Iudæorum parùm nos ratio moueat: saltem nostrum ipsi agamus negotium. Satis iam satis graues luimus idololatriç nostrç pœnas, si quis ea rectè cum annalibus conferat, quæ à Turcis, & infidelibus Saracenis sumus multis iam annis perpessi, non sine iucũdo Iudæorum spectaculo: nec finis videtur malorum futurus, nisi proiecta hac, quam dixi, è templis & cœtib' nostris idolomania, meliori via ac ratione nos ad syncerum dei cultum reuocemus.

Cæterùm quum sacrum hoc reformationis negotium tam multos habeat vbique aduersarios, qui nulla ratione sese auelli à consuetis patiantur, neque hîc etiam vlla sit spes persuadẽdi, nihilq; superest prçter vota solùm & preces: id agamus, vt æternum patrem Domini nostri Iesu Christi obnixè comprecemur per vnigenitum ipsius filium, vt qui omnia in incredulitate concluserit, quò omnium misereatur, idem & Iudæos hac incredulitate, nosq; superstitione, omniq; idololatria liberet: simúlq; ecclesiam suam, qua primùm rectitudine instituit, eadẽ porrò pergat ꝓuehere, & illibatã custodiat. Quo nomine & teipsum, mitissime Seruator, obsecramus, qui constitutus es rex super Sion montem sanctum tuum, vt ex Sion monte hoc sancto tuo redemptorem te aperias tuis, omnemq́ue auertas impietatẽ à Iacob. quò tandem fiat, quod per prophetam olim promisisti, vt congregati filij Iehuda, & filij Israel sub vno capite, ijdem vno spiritu, vno ore, vna professione nobiscum, pariter te verum Dei filium agnoscãt, te redemptorem celebrẽt, ac communem nobiscũ salutem, te Seruatore, in æterno regno tuo cõsequantur. Amen.

Oratio vice perorationis

Esa.59.
Rom.11.
Ose. cap.1.



De Christo Tri- umphante, eiusdem Autoris *Appendicula.*


VOTIES mecum tacita mentis pertractatione, mortalis naturæ nostræ fluxam fragilemq; conditionem cogito, tot ærumnis, periculis, molestijs, iniurijs, lachrymis vndique expositam, in qua nihil tutum, firmum, aut certum, nihil liberũ, quod non seruituti, non sæuissimorum hostium tyrannidi atque ludibrijs obnoxiũ sit: mihi plusquam dici potest, immensum videtur, quod Christo Seruatori ac triumphatori inuictissimo, debeamus: cui quum omnia nostra, nosq; ipsos totos, & plusquam totos pro officio tribuerimus, nihil est in his omnibus, quod illius in nos meritis vlla ex parte respondeat. Adeò non modò vires naturamque nostram, sed & cogitationis sensum omnem superant, quæ cœlestis hic Hyperaspistes nostri causa perfecit, præstititque, vt rerum ipsarum incredulitatem ferè afferat magnitudo. *Triumphus Christi in miseria humana elucet*

Quod si igitur in terrenis imperijs res præclarè à suis gestas ducibus, tanti vulgò facimus, tanto cum applausu, in libris expressas, in tabulis insculptas, depictas parietibus, in theatro expositas aduertimus, instupescimus, triumphis, pompisque panegyricis, denique nullo non decorum genere prosequimur: quo tum animorum sensu nos affici par est, in cœlesti hoc triumphatore, cuius res gestæ ac stupenda stratagemata adeò infinito splendore rerum humanarum omnem obscurant gloriam, ac naturam exuperant, vt à terra cœlum, vmbræ à rebus, fucata à veris non distent immensius. Sed ita fit, vt quemadmodum in cæteris rebus, sic & in diuino hoc principe, haud aliter ferè eius maiestas summaque beneficia emineant, nisi prius hostium, quos ille deuicit, potentiam, atque periculorum è quibus nos liberauit ille, ac quotidie liberat,

grauitatem ritè perspectam teneamus. Proinde exporrectis animis & auribus paulisper mihi singulos adesse optem Christianæ pietatis candidatos, dum totius generis ac perditæ naturæ nostræ deploratissimam conditionem, dumque hostium quibus subijcimur immanem fortitudinem, cum pari malitia coniunctam, oculis omnium sum expositurus. Eò fiet, vt Christi victricem manum in salute nostra asserenda, simul & agnoscamus magnificentius, & auidius amplectamur.

Humanæ miseriæ cõsideratio.

Atque vt primùm leuiores illas calamitates, ac communis fortunæ molestias, quæ aliunde aliò influentes in hanc vitam, miseriam & querelas secum subinde alias atque alias attrahunt, vt etiam tacitos singulorum gemitus, secretas cogitationum tentationumque in nobis tumultuantium iactationes, quibus in se quisque ferè æstuat (quis enim non hic suum aliquem habet satanam?) silentio transigam (prolixum enim fuerit, nec vnius Odysseæ opus, singulis persequendis immorari) ad publica igitur veniamus mala, quæ ex æquo ad omnes spectantia, vitam hanc non miseram solum, sed & nullam reddunt: non affligunt, sed extingunt: non premunt, sed perimunt, abolentque.

Mortis inuicta potentia.

Atque vt à leuissimis primùm hoc in genere exordiamur, mortis huius quotidie grassantis inuictam tyrannidem consideremus : quam, quum cæteros suos quisque hostes deuicerint, nunquam debellare quiuerunt vel potentissimi orbis monarchæ : non Macedo ille magnus, cuius victorijs non vnus suffecerat mundus, hanc edomare: non Herculana vis, quum omnia superaret monstra, hanc excetram conficere: non Persa, montibus etiam & fluminibus minitans, hanc cum omni turma perterrefacere: non tot adoreis onustus Marius, aut Pompeius onustior, non ambitiosus Iulius, non triarij Romanorum milites, ferratæque copiæ, qui orbis finibus terminato Imperio, cunctis prouincijs iugum imposuerint, hoc suis ceruicibus iugum ipsi depellere valuerunt. Tot iam seculis in orbe sæuijt huius tyranni indomita rabies:nec quisquam adhuc

ex

ex omni mortalium genere extitit, qui eius ineuitabiles impetus vel retardare, vel euitare potuerit: non Regum, non Cæsarum formidabilis maiestas huic imperare, non legum cautiones hanc infrenare, non diuitum opulentia redimere, non philosophorum inane sophos, altumque supercilium opprimere, non Rhetorum eloquentia emollire, non Dialecticorum strophæ aut quamlibet arguti hanc vincire nexus, non Stoicorum toties iactata libertas huius seruitutem excutere: non pharisaica sanctimonia, non pontificum religio, non monastica austeritas, non sacerdotum preces eam deprecari: non ciuium consilia, non opificum industria hanc excludere mœnibus: denique non hominum aut naturæ vlla vis aut ratio huic obsistere vnquam potuit.

Quis est, inquit Propheta, homo viuens, qui non videbit mortem? *Psal. 88.* Quippe hic tyrannus nulli parcens, omnes conditiones, sexus omnes & ætates hominum infestat, æquè regum turres ac pauperum tabernas scandit, coniugia dissociat, amicitias abrumpit, tenera pignora à matrum abripit complexibus: vnde lachrymis, luctu, lamentis plena vbique omnia. Hunc in modum mulier illa in Euangelio, vnigenitum, quem mortuum efferebat, quo dolore & lachrymis prosequebatur? cui felicissimè occurrens in via Dominus, filium restituerat. *Luc. 7.* Sic Lazarus à duabus sororibus, *Ioan. 11.* sic Dorcas in Actis apostolicis à compluribus defletur. *Act. 9.* Hæc enim exempli gratia attingo tantum, cum casibus huiusmodi nusquã non omnes sint domus & familiæ refertæ. Iam si tales nobis darẽtur oculi, quib. in terrę latebras penetrare, atq; eorũ omniũ quos ab orbe cõdito mors absorpsit, infinitã omnis generis multitudinẽ contemplari ac numerare liceret: Deum immortalẽ, quantam hominũ iacentiũ stragem, quantã mortis cuncta deuastantis tyrãnidẽ, nõ animo solum cõplecti, sed & oculis ipsis subiectam spectaculo eo cerneremus? Nam hæc hominũ qui hodie viuunt multitudo, quota tandem portio est turbæ illius, quæ tot continuis retro seculis morte abrepta οἴχεται, vt inquit poeta, ac in terreis monumentis computrescit?

Atqui tales habebat oculos acutissimus propheta ille, qui clamare iussus est: Omnis caro fœnum, & gloria eius flos fœni, &c. Et quantulum modò retulerit, quibus quisque istorum delicijs, voluptatibus, potentia, gloria, sapientia, literis, consilijs, titulis, triumphis inclaruit: quum non solum ijs omnib. sed & vita ipsa cum rebus, luce, aura, corpore deniq; ipso carere cogitur? perinde enim, vt sapiens cõcionatur Ecclesiastes, moritur sapiens ac stultus, doctus ac illiteratus, diues ac tenuis, Rex & plebeius. Discriminis nihil est. Mors omnes simul æquat, cunctis pariter inflicta mortalibus. Omnes enim communi nascuntur conditione, vt occidant: quidã maturius, alij tardius. & cui longissimè fluit huius vitæ clepsydra, adusq; senectæ metam vltimam, quæ tamen non perinde multis nunc accidit: nihil ea res obstat tamen, quin vera maneat veteris parœmiæ fides, Homo bulla.

Esai.40.

Eccle.2.

Atq; hic primum se aperit in infirmitate nostra triumphus Christi Domini nostri, quicquid vsquam triumphorũ est, aut stratagematum sub cœlo, aut vnquam fuit, infinitis partib. exuperans: non solum in hoc, quòd is vnus ex vniuersa hominum multitudine, ea etiam parte sui qua homo est, præter humanam sortem, nunc immortalis sit factus: sed quòd miseros etiam mortales, mortis ereptos tyrannide, immortalitati asserit: è miseria ac fragili conditione, in salutis perennem felicitatem traducit, sibi denique in regni ius & communem libertatem associat. Quid huic victoriæ vsquam humanis reb. simile? Quid triumpho hoc augustius, salutarius, admirabilius, quum oculos mentemq; per cuncta rerum genera circumtulimus, non dico inueniri, sed votis expeti, aut ratione cogitandoque concipi poterit? An non protinus hic frigent, sordent, vilescunt huius terræ simul omnes satrapæ ac principes, vixq; cum vmbris ac scarabeis repunt, si cum cœlesti hoc triumphatore conferas? Nam si in terrenis imperijs ita cuique plurimum tribuimus principi, vt quisque quàm latissimè porrecta ditione, cæteros quosque suis afficit beneficijs, ipse vnus minimè vllius egens auxilio; quid tum par fuerit de hoc

Mors quomodo victa.

Victoria ac triumphus Christi.

hoc nos cogitare monarcha, ac principum omnium Principe, cuius ea primum ditionis amplitudo est, quæ tantum non orbis vniuersi finib. non oceani littoribus terminata, ad cœlum insuper ipsum, ad vsque tribunal Dei penetrat, iuxta propheticam cantionem: Et dominabitur à mari vsque ad mare, à fluminibus ad terminos orbis terrarum. *Psal. 71.*
Et apud eundem alibi; Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. *Psal. 2.*
Quin & ab ipso audimus Domino: Data est omnis potestas mihi in cœlo & in terra. vt ex innumeris testimonijs hæc obiter delibem paucula. *Mat. vlt.*

Deinde eiusmodi sunt beneficia, vt quàm per se sunt augustissima, tam omnibus exposita existunt, atque ad omnes ex æquo pertinent; sicque pertinent, vt nemo ijs sine summa infelicitate destitui, nemo rursus sine salute, omniq; felicitatis perfectione perfrui poterit. Quumq; cæterorũ regum opes & beneficia vel largiendo exhauriantur, vel non pateant singulis: aut si pateant, non iuuant quoslibet, præter duntaxat indigentes: longè diuersa in hoc Principe ratio est, cuius ęternæ donationes ac munera, præterquam quòd exhauriendo nunquam minuuntur, quin accrescant potius: tum eius sunt generis, vt iuxtà maximi reges ac infimi è triuijs mendici, iuxtà sapiens ac stultus, doctus atque indoctus, Iudæus & Græcus, mas ac fœmina, dominus ac seruus, senes ac pueri: denique ne per singulas eamus conditiones, vna omnes pariter necessitate indigeant. Apud hunc nulla est graduum distinctio, nulla dignitatis præstantia, personarum nulla acceptio. Omnes ad vnum eadem conditione, pari sorte apud huius fores mendici sumus, quotquot homines sumus. Quum ille interim suis bonis per se αὐτάρκης nullius vnquam ope egeat, nec opera: nec pilum illi contulerit omnium conflata simul regum ac procerum quantacunque licet affluentia. Quid enim illi dabis, qui solus dat omnia: quiq; sua claudit potestate, quicquid vsquam in cœlo, quicquid in terra est?

Beneficia Christi quãta, quamque omnibus exposita.

Quæ quum ita habeant, quæ tam cæca intemperies,

Notantur præpostera hominum studia, & inanis solicitudo.

ac inauſpicata impietatis lues Chriſtianos agit animos, qui in mortalium principum emerenda gratia, tanto inſaniunt ſtudio: quum interim de ſalutifero æterni huius monarchæ fauore, aut tam pauci cogitent, aut non multi admodum ſolicitentur? Declarant id ſtudia, ingenia, mores nimium hodie prolapſi, Chriſtianorum: non dico omnium, ſed vtinam in pauciores hæc quadret querimonia. neque enim hic promiſcuè omnes, imò ne malos quidem ipſos, niſi monendi gratia, attingo. Nam vt vulgo hodie viuitur, quis tam plebeius eſt in terris princeps, cuius non pluris ſit apud ſuos autoritas, nõ grauius offenſa metuitur, non enixius expetuntur beneficia, imperata nõ promptius expediuntur, cui non alacrius obſeruitur, quàm huic vnico omnis poteſtatis coryphæo Domino? Agè, & quũ omnia in te contulerit Principis tui munificentia, quæ vel homo homini largiri poterit, vel tu tot annorum adulatione venatus ſis, quid tandem eximium adeò nactus es? Nimirum contigit forſan ſuburbanũ prædium, accreuit horreis prouentus felicior, aut loculis cenſus vberior: adde his, ſi libet, etiam regia magnificentia ſubſtructa palatia, ſublimes titulos, præfecturas, dynaſtias, ſimul cum vniuerſa illa mũdanæ pompę tragœdia reliqua. Et tanti hæc ſunt, vt protinus vniuerſum felicitatis humanæ orbem ac circulum abſoluiſſe, cœloque iam proximus tibi videaris? Primum

Inſtabilis principum fauor.

mitto hic de fortunæ ac principum inſtabili aura philoſophari, quæ nonnunquam quouis euripo volubilior, vt nunquam diu eodem tenore aſpirat eiſdem: ita, quo maiora tribuit, hoc citius ſolet repoſcere plerunque quæ dederit. Sed pone hic certa omnia, ſitque iam tuum, contra Mimi illud, Fortuna quod fecit tuum: illud nunc ſupputemus, quem tandem ſui fructum reddunt tua hæc tot votis expetita bona?

Scio quid hic tacita tua ſecum obmurmuret cogitatio,

Mundi felicitas ſplendida vanitas.

Nempè ſatis iſtoc pacto præclarè corpori proſpectum eſt. Audio, & fateor. At interim quo pacto miſeræ, te quæſo, animæ conſultum eſt? Foris venter diſtenditur cupedijs: vndique te circunſonat terrenarum voluptatum ſtrepitus, opibus

opibus diffluis, autoritate polles, dignitate flores, abundas amicis, auro, gemmis picta renitent laquearia. Circunfusa te stipatorum turba cingit. Clientibus ac famulis honoraris, suspiceris, coleris in externo mundo. At interim intus in interno mundo tuo quid agitur? Illic quo pacto cum Rege tuo tibi conueniat, videamus. Tu externis oculis omnia persequens, nihil præter hunc mundum spectabile esse, nihil quod magnopere ad hominem attinet, existimas: tota erras via. At tu internos vicissim oculos aperi: longè alium mundum extra hunc esse intelliges, vbi tanto potiores diuitiæ, maioresque thesauri digna sedulitate effodientibus inueniuntur. Neque verò hic ego te in cœlum empyrium, aut crystallinum relegabo, vt iam illud mihi occinas ex Mose, Quis ascendet in cœlum, aut quis descendet in abyssum? Imò non aliò te quàm intra teipsum ducam, vt aut longa tibi peregrinatione, aut Vlysseis erroribus sit opus. tantum ea quæ intra te posita sunt, prudenti attentione intueri velis: facilè comperies, te mundum quotidie in pectore circumferre. *Deut. 30.*

Quid enim homo ipse est aliud, quàm mundus quidam, si molem spectes, exiguus? sin rerum mirabiles formas, precia, pulchritudinem, Deique, ad quam fabrefactus est, imaginem consideres, multis nominibus mundo hoc visibili tum nobilior, tum excelsior: vt futile etiam videatur, quicquid habet mundus hic præstantissimum, si cum inuisibilis mundi illius amplissima dignitate componas. Vis'ne admirabilem mundi illius fabricam ac diuitias cernere? Tibi gratissimum aspectum oculis præbet solis huius, lucis atque auræ contemplatio. At quanto præstantior sol est in tuo corpore, oculus animi simplex, Christi illustratus luce, qui totam mentis rempublic. lucidam reddit? Delectat te auri fulgor, cum argenti copia, & in longum ambitum porrecta latifundia. At quanto nitidius splendet preciosa margarita flagrantis fidei, ex aruis Euangelicis eruta? quam vbi inueneris, cætera omnia vendis, proque reiectis habes, præ huius desiderio.

Homo μικρόκοσμος.

Mundus duplex, simulq; alterius cum altero comparatio.

Opes mundanæ. Habet mundus suam pacem, securitatem & libertatem. Sed nec illi deest sua pax, sua item libertas: adeoque non *Pax mũdi.* deest, vt nusquam præterea alibi (si falsa à veris distinguamus) inueniantur. Tibi pax dicitur, vbi nulla intercedit simultas cum vicinis hominibus. At quanto pax præstabilior, animus tranquillus: conscientia, quæ nullius conscia, bene respondet apud Deum: mens primò secum, dein cũ Deo suo suauiter amiceque concordans? Porrò si tanti *Libertas vera falsa.* tibi sit libertas, ab hominum seruitute immunis: expende iam mihi libertatem illam, quando in te nec mortis impetus, nec peccati vis, nec Satanæ infelix tyrannis, non inferorum portæ, non fortunæ aduersitas, non hostium truculentia, denique (vt superbius adhuc aliquid dicam, in Christo) non ipsa Dei maledictio, non legis sententia obligatoria, non instantia, non futura, sublime aut profundum, non *Aulicorum honores, delitiæ.* tota potestas cœli, iuris habet aliquid? Cæterum aulicus es fortasse, turba ac strepitu hominum carere haud poteris: adlubescunt animo pristinæ militiæ commilitones, lusus, luxus, veneres, ocium aulæ Imperialis: in iocis, in poculis, in aleis, venatu, ac nugis ineptis, colloquijs ineptioribus totos dies & annos absumere generosæ suauitatis est. nam apud istos, secessus ad orationem, vecordiæ tribuitur, ac vitæ melancholicæ. Honorificum inter satrapas versari ducis, delectat ambitiosa nouitate prodigiosus cultus: tum si contingat principis tui gerere insignia, illi frequentius adesse in oculis, aut in illius quoquo modo irrepere gratiam, cognosci, compellari familiarius, subinde & præda aliqua aulica demulceri ab illo (nam hic finis huius philosophiæ est) nihil amplius ad perfectam deesse felicitatem putas: breuiter, ne longum faciamus, vniuersum mundum tuum explica, eiusque tanquam anatomia facta, voluptatum ac deliciarum venas omnes excute, subijce, exaggera quantum libet, vt iam in vnum aliquem Polycratem cunctæ simul mundi felicitates cadant, puta, regis fauor, aulæ suauitas, honorum gradus, generis nobilitas, voluptatum varietas, palatia, amici, aurum, gemmæ, prædia, clientum turba, populi fauor, lucis huius spectabilis contemplatio,

templatio, lusus, risus, victoriæ, triumphi, aut si quid huius farinæ aliud superest.

Age vicissim & ea conferamus, quæ alterius sunt mundi bona, quæque animam intus beatam reddunt. Atque vt ab eo quod meritò omnium maximum est, à Dei videlicet supremi Principis fauore, exordiamur, ea deinceps quæ hinc subnascuntur commoda, colligamus: quod genus est, conscientia, pax, vita, salusque sempiterna, gaudium in spiritu sancto, animus malis cunctis superior, mortis victoria, peccati venia, fides Satanici imperij domitrix, mens intrepida, omnique metu libera, rerum præsentium contemptio, futurarum certitudo, virtutis ac sapientiæ quibusque opibus preciosores thesauri, cōpressus affectuum tumultus, spiritus Dei charismata varia, rationis lux solis instar mirabili radio omnia perfundens: adde huc doctrinæ, scientiæ, ac linguarum, ceu astra quędam in hoc mundo fixa: denique nihil ferè in hac rerum externa natura fieri videas, quod non idem in interno mundo agatur spiritualiter, sed multo efficacius: vt videri possit mundus hic haud aliud quàm vmbratilis & mortua imago hominis, quemadmodum homo viua est imago Dei. Postremò, quum mundus externus ad vsum solum rerum exteriorum, alter ad felicitatem à Deo comparatus videtur. Proinde qui in hoc seculo, præter necessaria victus vitæque alimenta, maiora spectant, stultæ opinionis præpostero errore seducti, vmbras pro veris, fluxa pro æternis, pro thesauro carbones inueniunt. Vera siquidem felicitas, nisi in cœlesti illo animi mundo, nusquam constat: quam tibi non Cæsar, ter licet Augustus, non omnes terræ principes regesque tribuere, quemadmodum nec eripere poterint. Tantum ab vno hoc omnium principe ac Domino, Christo Dei filio, proficiscitur.

Antithesis qua externa bona cū internis conferuntur.

Mūdi falsa felicitas.

I nunc igitur, & mundum hunc, quem tantopere suspicis, amplectere, ac temporarijs principum obsequijs temet addicito quantum libet. Scio Christianam disciplinam principibus honorem deferre suum, quem nec

ego

Christi splendor terrenis principibus honorem debitum non detrahit.

ego illis inuideo: imò adauctum cupio, sed verum. Nemo verius potestates honorat superiores, quàm qui honorat in Domino. Porrò si diuina autoritas tantum hominibus tribuit in vmbratili hoc seculo principantibus, quid tum illi nos deferre consentaneum est, qui in tantum maximorum regum euincit atque obscurat celsitudinem, vt illi non aliter felices iudicandi sint, quàm vt ipsi seruiant? Diximus iam, profligatam, depulsamque ceruicibus nostris, omnem mortis tyrannidem, hoc autore principe. Cùm mortem dico, pariter vniuersum malorum agmen, quæ quoquo modo mortalium vitam infestant, intelligo: tum ea quæ mortis primùm dedêre causas, tum quæ eandem comitantur insuper, ac consequuntur. Mors enim per se haud aliud quàm peccati mulcta est, ac stipes, iuxta Paulum: quemadmodum & peccati vis est lex. siquidem vbi nulla lex, nec transgressio est. Vbi autem transgressio, palàm ibi fit ira Dei de cœlo aduersus omnem impietatem, & iniusticiam hominum, veritatem Dei in iniusticia detinentium. Atque huic iræ omnes obnoxij eramus aliquando, mortui delictis, Satanæ huius mundi principi seruientes, denique sub huius imperio ad malorum & miseriæ nullum non genus abiecti. Quid enim ad summam calamitatem deesse amplius potuit, vbi omnia pro arbitrio miscens ac confundens Satan, summam exercuit dictaturam, solusque tenebat atrium, nulla naturæ vi, non omnibus regum copijs superabilis? Cæterùm rebus sic vndique conclamatis, hoc illustrius summi agonistæ nostri virtus enituit, qui singulari stratagemate, patiendo subegit hostem, mortisque debellata tyrannide, moriendo immortalitatis æternum patefecit aditum quibusq; ad eum ingredientibus. Vnde omnibus beneficij sui fructum communicaturus, qui ad seipsum trahit omnia, clamat in Euangelio: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Atq; vt nullum non mortalium ad se genus admittit, qui cunctos inuitat: ita nec vllam excipit oneris aut grauaminis conditionem, qui promittit se refecturum in omnibus.

Lex sublata per Christũ.

Rom. 1.

Ephe. 2.

Matth. 11.

Quare

Quare age, quisquis quocunque laboras onere, in Christo frater, agnosce inuitantis vocem: quoque afflictior es, hoc audacius propera ad eum, qui cum vniuersis sit expositus, tum afflictis potissimum venerat. Si te ira diuina concutit, hic placatorem habes, qui perempta inimicitia per crucem, asylum tibi tutum præstat. Si lex te illius vrget, aut stimulat peccati sensus, sustulit ille chirographum aduersus nos in decretis situm, expoliatosque principatus ac potestates ostentauit, palàm triumphans de illis per semetipsum. Mortis te diuexat horror? Mors iam in ipso aculeos perdidit, magisque te nunc quàm tu ipsam metuis. At Satan tibi facessit molestiam, malarum cogitationum artifex. Tumultuetur sanè quantum volet: quid tibi admodum incommodare poterit, cuius quum contritum caput sit, nihil potest nisi calcaneo tuo insidiari? At fides forsan tua impetitur, aut aliunde aliæ irruentes tentationum procellæ pectoris tui tranquillitatem quatiunt. Pugna igitur, ac totam militiæ Christianæ panopliam expedi. Aut si pugna impar viribus videatur, ora tamen: aut si ne orare quidem queas, suspira saltem. Ingens oratio est, gemitus pectoris intimi desiderium eiaculans apud Deum. Adnitendum tibi certè, quòd poteris: verùm hoc ipsum quòd poteris, non tam per se magnum est, quàm magni sit apud Dominum, qui propensi animi affectum in nobis instar facti tum accipit, tum coronat. Alioqui quod exacta iustitiæ diuinæ ratio in nobis exigebat ad salutem, atque ad hos discutiendos hostes, immensum erat, longeque supra neruos tuos positum: verùm quod ipse ex homine natus homuncio præstare non valebas, id ex Deo natus Dei filius præstitit Christus. legis omnia expleuit officia, per summam humilitatem cum pari coniunctam obedientia mundi deiecit fastum, cœlorum regnum nostra infelicitate clausum aperuit, Satanam exautorauit, mortis fregit violentiam, peccati stimulos, inferniq; morsus hebetauit. Deniq; perfectæ iustitiæ omnes absoluens numeros, id vnus dependit pro omnibus, quod à singulis exigebatur.

Ira Dei placata.

Satan expoliatus.

Colos. 2.

Stratagemata Christi triumphatoris.

Atque

Atque hæc quum tot tantaq; ineffabili triumpho cœlestis hic Coryphæus gesserit, quæ naturæ etiam stuporem incutiant: accedit insuper, quòd reb. per se maximis, cumulatiorem adhuc gloriam adijciat, non solum quòd nullis adiutus suppetijs: sed quòd etiam huius quidquid victoriæ est, non sua, sed nostra duntaxat causa in se susceptum perfecerit. Qua in re cæterorum principum victorijs longè dissimilis videtur, non modò rerum gestarum magnitudine, sed & ipsa gerendi ratione, principis huius triumphus. Horum enim victoriæ, vt externa semper crudelitate, viq́ue adhibita transiguntur: ita sæpe cum iniuria coniunctæ sunt, nunquam sanè periculo cædeq́ue multorum vacant. quo fit, vt potentissimorum ferè monarcharum triumphi haud aliud quàm publica quædã orbis prædatio & calamitas videatur: in qua dum vnus ridet, multi ringuntur qui minimè commeruerunt, cùm in aduersa parte, tum in victrici. Iam vt iustis de causis ad manus veniatur, fit tamen in triumphis eiusmodi nescio quo pacto, vt eius ferè habeatur victoria, qui solus in conflictu minimum præstitit. Nam vt adsint aliquando in pugna principes, longissimè certè absunt à periculo, quorum potissimum ostentatur victoria. Contrà hic quàm diuersa omnia? Quorum res propriè agebatur, hi ab omni immunes discrimine, ac ociosi, sedent laboris alieni spectatores. Solus qui nihil commeruit, omni periculo defungitur. Qui si periclitantib. modò cæteris, aut laboris particeps, vel dux militiæ, aut victoriæ quoquo modo adiutor adesse non grauaretur: immensæ tamen pietatis, rarumq́ue in Principe exemplum videri possit. Iam verò in causa aliena non adest modò spectator aliorum, sibi cauens post principia: sed torcular solus calcat, adeoq; Imperator ipse, cæteris altum dormientibus, solus se periculo obijcit: non dico pro subditis, imò hostibus etiam acerrimis. nec pugnando, sed tolerando vincit: adeoq́ue nullam vim, manus nullas adhibet, vt ne vox quidem in plateis audita sit, nouum quoddam vincendi genus orbi ostendens. Vtcunque apud huius mundi professores væcordiæ ac ignauiæ tribuitur

Singularis in Christo victore pietas.

buitur, si quis iniuriam acceptam mussitet, aut malum malo, vim vi non retaliet fortiter: nemo verius vincit, quàm qui omnem à se translatam vindictam Deo in manus tradit. Nulla expeditior victoria, quàm in diuinam voluntatem, prorsus se reijciens obedientia.

Accedit porrò in hoc nostro Hyperaspista & illud non tam illi gloriosum, quàm nobis omnibus salutiferũ, certè à communi nostrorum bellatorum exemplo longè lateq; dissidens. Nam illi vt vincant interdum, nec diu fruuntur victoria, & vincũtur sæpius. Deinde quæ vincunt, naturam habent, vt superari queant. Postremò, si quid in prælio incommodi, id in milites vniuersum diffunditur: si quid ex victoria manat emolumenti, huius si qua portio forsan cum militibus, malignè licet, diuiditur, neque id crebrò accidit: tum eximiæ etiam felicitatis ducitur. Atqui hic auspicatissimus μονομάχος, cum ijs cõgrediens, qui nobis tanto superiores erant, ita cum singulari fortitudine incredibilẽ coniunxit pietatem in profligandis hostibus, vt eius victoriæ nihil ferè suum præter laborem: spolia verò, manubias, prædæque vniuersum fructum, penes nos manere voluerit. Quocirca quum in omnia hæc quæ Christo autore, in hac longè felicissima expeditione peracta sunt, animo mentisque agitatione lustrauimus, quæ sanè supra omnem humanum modum stupenda sunt: ita protinus suum quisque inducat animum, vt quæcunque huius vel fortitudinis præstantia, vel victoriæ sit gloria, non tam illius propriam esse, quàm nobis cum illo communem existimet. Sic denique omnes cogitemus, quicquid priuatim est in illo gestum, publicum omnium esse beneficium. Porrò non tam gloriam & magnificentiam rerum intueamur, quæ gestæ sunt: quàm vsum ipsarum discamus vniuersi. Quorum in altero Christi laus, in altero nostra statuitur felicitas.

In victoria Christi quæ spectanda sunt.

Christi beneficia omnia nobis pariter cum illo communia.

Quanquam nulla re Christus laudatur rectius, quàm si quis illius beneficijs vtatur cum gratijs, eademq; in se accommodet. Præterea nec facilè dixerim, magis ne abs te laudari, an tibi prodesse gestit ille. Certè tu magis illius

ope

ope, quàm tuis ille præconijs indiget. Multos videas, qui religionis in eo summum colophonem constituunt, si crebra meditatione Christum pro nobis pendentem ac confixum, in mentem reuocantes, laboribus illius commiseratione quadam indolescant, aut tortores Iudæos diris exe-crentur. Nec improbandus religiosus affectus, qui indubiè singulari pietate non caret. Atque vt in eo magnam religionis nostræ partem sitam non diffitear: ita rursus cauendum, ne hic solum tanquam in pietatis fastigio consistamus Christiani: vnde potius gradus est arripiendus ad ea, quæ felicitatis sunt propiora. Neque enim idcirco erecta est Christi crux, vt eius tantum spectator sis, sed imitator potius: non vt spectaculum tibi, sed remedium præbeat, ac quotidianæ tuæ subseruiat necessitati. Tu Christum in crucem actum suspicis: quin illud magis animo excutis, quid erat causæ, cur se tantis supplicijs deuouit mitissimus Dei agnus? quamobrem resurrexit, quur in cœlum subuectus, ad dextram sui patris triumphabundus regnat? Quæ quum omnia tua fieri causa comperies: tuum igitur fuerit, vt ijs tanquam proprijs beneficijs ad tuam vtilitatem, sapienter vti assuescas.

Meditatio de cruce Christi.

Quo pacto inquies? Audis, pro te crucifixum filium Dei. Primum, mirificam in te benignitatem Dei contẽplaris. Deinde, quàm horribilis sit res peccatũ apud eũ, simul intelligis: quod nisi vnigeniti ipsius tot cruciatibus, tantis'que exantlatis laboribus expiari non potuit. Quorum illud te ad amorem Dei accendere, hoc in timore illius te continere, omnemque in te peccandi licentiam frãgere debeat. Sin autem in peccatum te illabi (vt multa fert humanæ vitæ infirmitas) contingat, in quo vel lex te accusat, vel mortis deijcit horror, aut scripturæ concutiunt exempla: siue animi etiam tui sensus, omnesque cogitationes in te tumultuentur, aut Satan alioqui omnes terrorum admoueat faces, qui nusquam non adest in Christianæ pietatis stadio gnauiter adlaborantibus: hic non solum paratam habes inexhaustæ gratiæ & ignoscentiæ copiam, sed quòd etiam morti, legi, satanæ, quin & tuæ ipsius conscientiæ

Quo pacto vtilitas ex Christi victoria nobis capienda.

conscientiæ intrepidè superbeque insultes. Nam quo iure in Christo mala hæc, eodem & in te deuicta putes. Verùm quum per cætera omnia mentis obambulauit attentio, hic vnus omnium amplissimus atque augustissimus fructus est ex Dominicæ victoriæ mysterio atque triumpho colligendus: nimirum vt ita Christi facta omnia, virtutes, gloriamque in te transferas, quasi tu totus illius vestitus iustitia, cum illo, in illo, sublimis iam regnes ac triumphes, cœli terræque dominus: ille vicissim commutata tecum persona (nam is publicam omnium personam gerit) tua in se peccata, Dei iram, omnisque miseriæ tuæ impetum deriuet. Vnde ingens ilico surgit animo libertas & altitudo conscientiæ, incredibilis spiritus sublimitas, tum maiestas quædam mentis & magnitudo, non modò rerum mundanarum & inferarum contemptrix, sed cœlo etiam ipso superior, gaudium denique & lætitia in spiritu sancto sempiterno, quam sacri prophetæ super caput ominantur eorum qui redempti conuertuntur ad Sion. Quæ propria cùm sint Christianorum bona, tum huiusmodi, vt nihil magnificentius, aut optabilius homini possit, imò ne angelis quidem Dei contingere: subit igitur mirari, quî nam eueniat, vt hæc ipsa non ita frequenter, vix etiam raró in vita moribusque Christianorum eluceant. Nam quum multos superstitioni immersos, plures adhuc pristinam legis seruientes seruitutem, alios item alijs opibus affluentes spectes: quotumquemque ferè dabis, qui Christiani pectoris hanc, quam dixi, celsitudinem, ac spirituale in Christo robur, aut intus inspiret, aut foris exprimat. Huius quum plures existant causæ, nos vt nonnullas attingamus, temporum forsan status monet.

Christus publica persona.

Esai.35.

Quod igitur in mundo tam fortes, in Christo verò tam fracti sumus, in rebus ipsis haud defectus est, quæ vt per se amplissimæ, ita & certissimæ existunt: sed ingenita quadã carnis nostræ angustia fit nescio quo pacto, vt fidei nostræ imbecillis acies, rerũ ipsarũ splendore, non aliter quàm ad solis ferè obtuitum, nisi cœlitùs salutari Christi luce irradiata, fatiscat. Accedit porrò ad hanc natiuam tarditatem,

Causa cur in mundo tam fortes, in Christo tam deiecti simus.

partim

partim Satanæ nuſquam non adorientis impetus : partim noſtra etiam ſupinitas, qui fidei qualemcunque gliſcẽtem ſcintillulam non excolimus, dum rerum videlicet præſentium aut ſucceſſu deliniti, vel ſtudijs affixi, vel ſollicitudine præpediti, has cœleſtis regni opes præterimus neglectas. Et quid mirum interim, ſi nobis ſic regnum ipſius faſtidientibus, ſeſe non aperiat Chriſtus ? huius ſeculi bona præferentibus, ſua non impertiat ? gaudentes & ridentes in hoc mundo, non conſoletur paracleticus illius ſpiritus ? non eſurientes aut ſitientes, non expleat ? nullo laborantes onere, non recreet ? Quærentes amat, ſollicitos amat Dei regnum. Qui huius mundi ſcholam ſectantur, habent ſua inſtituta, habent & ſua commoda quibus perfruantur. Hic verò rex ſuas ferè opes non explicat niſi egentibus, quique per mundi cõtemptum expedita alacritate Agnũ, quocunque ierit, inſequuntur. Nec ſcio, an hic etiam inter alios prætereundi ſunt hi, qui verbi negotium gerunt apud populum. In his enim potiſſimum ſitum eſt, vt plebs rectè inſtituatur in Chriſto, aut ſecus . Quanquam nihil hic in genere præcipi poſſit, quod in formanda multitudine perpetuum ſequantur ſacri hierologi, in tam infinita audientium varietate. Quoſdam enim ſic viuere videas, vt magis ne Legem an Euangelium negligant , minúſue Deum an homines vereantur, ἀθλέους rectius an ἀθέους dixeris, neſcias. Alij ſunt, quibus ſibi ad omnem licentiam habenas laxantibus, Euangelicæ libertatis muſtum non magis ferè ſpirat, quàm porcis (quod aiunt) amomum. Suntque rurſus cõſcientiæ, quibus legis prædicatio, ac Ioannis vox lugubris non modò intempeſtiua, ſed & peſtis ſit quædam ferè pro pharmaco.

Euangelii diſpenſandi ratio.

Attamen quum Chriſtus Dominus noſter donum ſit indulgentiſſimi patris, promiſcuè omnibus, non aliter quã communis hic ſol cunctis, dignis pariter & indignis lucens : non arbitror conuenire, vt nos in diſpenſando beneficio contractiores ſimus, quàm ille in largiendo fuerit. Si Dominus, quo immenſas gratiæ ſuæ diuitias oſtenderet, nos miſeris modis captiuos legis ſeruitute voluit exoluere :

oluere: si in amplexus suos recipere, si in cœli bonorumq; omnium communem vocare possessionem, si vocatos iustificare, iustificatos glorificare, pro gratuita sua pietate, libuit: nos non agnoscere quod oblatum est, inscitiæ: non accipere, miseriæ: premere autem, alijsq; inuidere, quod communissimum esse oportuit, vel ingratitudinis est, vel etiam in dispensatore fraudis. Non nego, legis terrores & minas suum habere locum, præsertim corruptissimo hoc temporum statu: atq; vt locum, ita & periodum habet suã. Cæterùm cum hic multiplici opus est circumspectione: tum magnopere cauendum quibusdam (nam omnes non attingo) ne dum regalis Christi gens sub perpetua legis pædagogia continetur, fiat interim, vt ad finem Legis Christum, ad adultæ libertatis maturitatem, ad Euangelicæ suauitatis amplitudinem vix discat vnquam assurgere. Quanquam non tam horum ratio fortasse, quàm vulgi improbitas hic redarguenda: quorum mores indies in deterius prolabentes in causa sunt, cur ijs non liceat aliter docendi methodum instituere. Et tamen an satis id causæ esse debeat subtrahendi pabuli Euangelici, libera sit sua cuiusque sententia. Mihi ita videtur, his qui sacri verbi adhibentur officio, ea insistendum via, qua Christus in suorum animis, potius quàm Moses informetur: sicq; explicandas omnium oculis diuinæ munificentiæ opes ex ditissimis Christi thesauris, vt incipiant aliquando bona sua agnoscere Christiani: magisque commoditate Dei singulari ad pietatis frugem sponte alliciantur, quàm metu à peccando absterreantur inuiti. Siquidem hoc ipsum quod rectum est, ita demum rectè à nobis fieri stabileque videtur, si cum voluntate coniunctum, magis quàm ex impulsu (qui malus est diuturnitatis custos) proficiscatur. Certè nec fieri potest, quin vbi Christus rectè in audientium mentibus impressus admittitur, is virtutum omnium chorum, nouos motus, ac spiritum omnia sanctificantem, secum vnà aduehat: vt non alia efficacior ad morum disciplinam via videatur, quàm vt Christum cuiusque mens rectè imbibat. Contrà is vbi non adest, frustra omnes com-

Lex.

Euangelium

 munes

munes locos de virtutibus & vitijs exhauseris. Scio non defuturos, qui Euangelij salutifera gratia ad carnis occasionem abutentur, quemadmodum sol hic pluribus forsan indignis se impertit: quin nec ipse etiam id futurum ignorabat Deus, multo prius quàm erogaret beneficium. Et tamen vt beneficentiam illius improborum multitudo nihil retardauit: ita in præstito nunc beneficio haud æquũ censeo, propter abutentium turbam, eos interim debita fraudari consolatione, ob quos mortuus est Christus. Insuper & illud addam (quod Mart. Lutherus, lectissimum Euangelij propagandi organum, præclarè mihi sensisse videtur) si vel vnus in tota multitudine auditor sit, qui resocillatione opus habeat, & medicina Euãgelij, vel huius causa molliorem illam Euãgelicæ vocis tubã, quodque Græci ἐμβατήριον vocant, prudenti choraulæ personandum arbitror: boni vtique pastoris exemplo, qui vnica amissa ouicula, nonagintanouem reliquit, vt illi reducendæ curam omnem intenderet. Neque enim multitudine & numero hominum, sed voluntate Dei, & necessitate, harum rerum metienda dispensatio est.

Lutheri de dispensando Euangelio sententia.

Verùm quum omnes excussimus causas, & rationes subduximus, cur Euangelicę amplitudinis vigor tantopere in Christianorum animis sterilescat, hæc omnium præcipua est, in quam velut summam, reliquæ redire omnes videntur: quòd vnus vulgò abest Ecclesiastes, efficacissimus formandę conscientiæ magister, quem ego facilè quibusq; prætulerim doctoribus. Ea nimirum est, quæ apud prophetam Esaiam sola intellectum subministrat vexatio, & afflictio. Nam si id nobis satis non sit, Christi philosophiam profitentibus locos tantum scripturæ sacræ, ac sententiarum capita quamlibet ad vnguem & in numerato tenere de Deo, eiusq; iusticia, potentia, magnitudine, bonitate, sapientia, posseq; de eis magno supercilio vel ex tempore, vel ex arte declamantium ritu rhetoricari: nisi etiam earum rerum viuo sensu intus afficiamur, nisi Deum in nobis intus spirantem gerimus, eius iustitiam intus formidemus, potentia concutiamur, bonitatem amemus: hæc omnia

Afflictio dat intellectum.

vt fiant, nulla res propè præstat alia, nisi afflictio. Quo pacto enim Deum verè timebit, qui nunquam in se flagrantem numinis iram expertus, intellexit? qui nunquam in Christianæ militiæ descendens arenam, vel aduersarij vires, vel diuinæ iustitiæ magnitudinem, vel suam ipse imbecillitatem didicit? Aut quæ tandem materia nobis fuerit diuinæ sentiendæ bonitatis, vbi nulla præit afflictio, vbi nulla incumbunt pericula, è quibus clementia nos illius eximat? Alioqui enim valescentibus, quorsum medica opus manu? Quorsum adiutore opus, vbi nihil est discriminis? Idque præcipuè mihi in causa esse videtur, cur quos sibi charissimos habuerit Deus, grauissimis semper periculis tanquam in phrontisterio exercuit. Est enim alioqui sic ingenitum naturæ nostræ, vt quod de Phrygibus Græcorum prouerbio iactatum est, plagis tantum emendatis: idem & nobis ferè vsuueniat, vt nunquam simus, quàm sub cruce sacra, sanctiores. *Cur optimi quiq; maximè vexãtur in hoc seculo*

Exemplis passim plena sunt omnia: vt non hic admodum opus sit, longiùs petitis documentis, aut vt Israelitarum rempublicam adducamus, quorum rigida ceruix nunquam potuit sub Domini iugum, nisi aliqua hinc inde vrgente captiuitate, mansuescere. Vna nobis satis pro multis erit Romana ecclesia, quæ quamdiu sub persecutoribus tyrannis, velut sub cote acuebatur, pietatis & continentiæ eximia quædam magistra conspiciebatur, vbi omnes Christianæ vitæ & Euangelicæ doctrinæ dotes cumulatissimè inclaruerunt. Pòst verò, commutatis in diuersum vicibus, vbi pro periculis & laboribus, opes, potentia, fastus, luxus, huiusq; comes ignauia in Ecclesiam corripuêre gradum, iamque Episcopi pro martyribus, martyricidæ cœperunt fieri, Euangelicæ disciplinæ paulatim languescente vigore, quò tandem sordium prolapsa nunc est, apud se quisque æstimando cogitet: ego vt rem ipsam pro atrocitate satis explicem, non reperio. Satis in re tam conspicua exemplorum videri potuit. Sed non permittit locus hic, quamuis alioqui festinantem in huiusce argumenti cursu, Britanniam, patriam gentem tam commodè *Israelitica ecclesia.* *Romana ecclesia.*

sese aperientem, præteruehi. Quæ nuper sub auspicatissimo Eduardo principe, dum paululum à persecutionum respiraret procellis, quò demum turpitudinis reciderat, referre puderet, nisi res se ipsa occultare non posset. Postea quod tot concionatorum continuæ voces efficere non poterant, id asperam quidem, sed salubrem hanc Ecclesiæ illius castigationem perfecisse, sat notum est: Nimirũ sic nos mortales, siue natura produxit, siue formauit educatio, vt nisi malis expergefacti, vix vnquam oculos attollamus ad Dominum: tam necessaria res in Ecclesia Dei afflictio est, præsentissima aduersus omne malorum genus antidotus. Quemadmodum contrà rerum successus, affluentia & securitas, cùm virtutum cæterarum, tum potissimum religionis compages luxat, & neruos frangit.

Britannica ecclesia.

Afflictio salutaris in ecclesia antidotus.

Age circumductis paulisper oculis perlustremus velut è Platonis specula, res vel omnium publicas, vel priuatas singulorum, in monarchis insedabile bellandi studium, in aulicis turpissimam adulationem, in Symmistis ecclesiasticis ad regum vsque strepitũ luxuriantem ambitionem. Theologorum, omnia in sectas & contentionem pertrahentium odium tenax, nec minus præceps leuiculis de suspicionibus iudicium: in laicis, omnis generis corruptelas, opificum imposturas: in summis pariter & minimis inexplebilem habendi ingluuiem, in omnibus ferè impotens mundi huius studium, vt crassiora interim vulgi flagitia, stupra, ebrietates, adulteria, periuria, fraudes, rapinas, cædes, tumultus, cæteraque id genus supprimam. Vnde hæc tot quæso malorum scaturigo, nisi quia plerique nulla afflictionis asperitate, quæ nos in timore Dei atque intra nostrarum rerum curam satis cohibeat, non incessimur? Quo fit, vt pauci in suis constituendis moribus solliciti, omnes in alienis erratis vel obseruandis simus curiosi, vel flagellandis morosi ferè videamur. Dum hic iniuriam interpretatur, quod fortè ius est proximi: huic nihil placet, quicquid dicit alter, aut facit: ille ex festuca trabem, ex musca elephantem faciens, si quid in alio næui conspiciat, ad

Prosperitas sine afflictione quid in ecclesia efficit.

ad tragicam vſque exaggerat ὑπερβολήν. alter in fratris famam theonino rictu nunquam latrare deſinit, fortè quẽ non ſatis nouit, aliquando & immerentis, nonnunquam etiam bene meriti. Eſt, qui quicquid vſquam terrarum geritur adusq; Gades, vndecunque omnes captat rumuſculos: interim quid intus in ſui pectoris larario geritur, nihil ſolicitus. At quanto æquius & Chriſtiana dignius profeſſione fuerat, quum quiſque ſuum habet iudicem, cui aut cadet, aut ſtabit, ſi cum timore ac tremore, iuxta Paulinum conſilium, ſuæ quiſque ſalutis ſatagat, vt aliorum nec vitijs attẽdere, nec virtutibus inuidere vacet? Tũ ſi qua feſtuca in oculo fratris emineat, operã noſtram flagitans, eam ita adhibeamus: vt ſanãdi ſtudio, non contẽdendi, ſecum agi videat, qui admonetur, ſemper interim manſuetudinem & charitatem exprimentes, quę ſola ędificat Eccleſiam Dei. Sed nimium ego mei oblitus, qui dum cæteros intra rerũ ſuarum curam cohibere ſtudeã, vix memet ſatis cohibens, longius fortaſſis extra rem propoſitam prouectus ſum.

Vt igitur eò, vnde defluxit, redeat oratio: vides Chriſtiane frater, quid pro te effecerit Chriſtus: qui mortis, ſatanæ, maledictionis omni excuſſa tyrannide, qui deniq; chirographum aduerſus te in decretis ſitum exautorans, principatus ac poteſtates expoliauit, palàm triumphans de illis per ſemetipſum, at non propter ſemetipſum. Imò in tuam gratiam hæc omnia ab illo ſuſcepta perfectaque intelligis, vt tibi beneficijs, omniq́ue illius victoria, nõ vti modò, ſed & tuo quodam iure vendicare liceat: iamq́ue nõ acceſſum modò ad patrem, ſed cum fiducia etiam aditum ad eum habeas. Ad mortalem principem ſi cui libera contingit admiſſio, quàm ſuæ applaudit felicitati? At maioris id felicitatis, ad Deum omnis poteſtatis fontem intromitti: quem alioqui nemo videbit mortalium, & viuet. Iam verò, quum ad tremendum illum montem, ad inconſpicuam Dei maieſtatem penetrandi facultas, non dico cum libertate, ſed cum fiducia etiam conceditur: id ego non ſolum felicitatem omnem ſuperare, ſed cum imperio etiam quodam coniunctum arbitror. Quod quum

Chriſti erga nos beneficia.

 ipſum

ipsum tale sit, vt nos altius ducere Christus ipse non possit: ego quò te longius Christiane lector oratione deducam, non video. Quapropter ad nos ipsos reuertentes, vbi Christus Dominus tot tantaque causa nostra peregerit, vicissim quid nostri sit officij facere persequamur.

Nostra in Christo officia.

Quid'nam ergo, inquies? Si proximum respicias, multa. plena enim officijs est charitas. Sin Deum, vnum est duntaxat quod agas, sed idem oppidò permagnum : tantum vt in Christum credas, Dei filium, qui pro peccatis tuis mortuus est, & pro iustificatione resurrexit. At hic protinus obstrepentes quorundam sententias, ac propemodum dicam theologicam mihi inscribentes audio, quibus nimis forsan exiliter, angustisque finibus tam immensum salutis negotium terminare videor. Principiò, nõ hic agimus de ijs quæ in proximum, sed quæ ad Deum referuntur. Deinde, nec clam me est, permulta esse quę pręterea exigat à nobis Deus, timorem, dilectionem, &c. Sed aliud est ad obedientiam, aliud ad salutem requiri. Distinctè enim, dispositeque (quoniam in hanc incidimus disputationem) propter morosa hæc tempora incedendum est. Ab hærede filio multa exigunt parentes, in quibus præstandis obsequens quidem ille patri filius, at nequaquam hæres eò dicitur. Id enim ab ortu, non operibus, à natura, non conditione proficiscitur. Non secus in nobis legis obedientia laudem quidem inuenit, vel plagas euitat potius apud Dominum : at salutem nequaquam accipit. Quod igitur natura in hæredibus, id fides est in iustificationis Euangelicæ causa. Siquidem in vno hoc omnis nobis est salutis, gratiæ & felicitatis ratio proposita, tantũ vt apprehendamus Christum Iesum Dominum nostrum. Neque idcirco putet quisquam nimis arctè conciseq; hęc à me de salutis negotio comprehendi (ac si quis delphinum pelui contineat) qui huc nil requiram aliud quàm fidem tantum in Christum. Scio rem arduam esse æternam vitam, & quæ naturæ nostræ propria non sit. Eoque sola Christi apprehensione eam constare dico : quod nihil in mundo hoc magnum arduumque sit, nisi sola in Christum

Opera legis vbi necessaria, quidque efficiant.

Fides vera quæ sit, quidque efficiat.

fides.

fides. Quemadmodum nemo vnquam patri placuit præter Christum, ita in illo patri adeò complacitum est, vt eius causa charos habeat, quicunque sunt Christi. Nemini igitur opera sua, quamlibet eximia sic fiduciam attollant, quasi non sit omnino inutilis, etiam quum omnia fecerit. Solus Christus operibus magnus, nos fide in illum sola magni sumus. Opera itaque ad Christum, ad nos propriè fides spectat: certè quæ apud Deum valere possit.

Obiectio dissoluta.

Sed fenestram, inquis, hoc pacto cæteris ad licentiam aperis, alioqui natura plus satis ad laxissima quæque profusis. Imò quicquid apertum hic est, aperuit Deus, aperuit Euangelium: non nos, qui testes duntaxat doctrinæ sumus. Cum illo postulandum, si quid hominum iudicio displicet. Aperit quidem ille, non nequitiæ fenestram, sed cœlorum regnum. Quòd si qui tam studiosè mali sint, vt ex salutari ostio sibi fenestram faciant improbitatis, culpa est non dextrè aperientis, sed sinistrè ingredientium. Nũquam cum humanis rebus secus actum est, quin pars semper maior fuerit, rebus optimis pessimè abutentium. Postremò si reliqui omnes, quicquid est mortalium, doctrina hac abuti velint: ac decem tantum in mundo scirem, quib. profutura hæc sit consolatio: equidem nihil in hac causa dissimulans, ob hos ipsos testarer confidenter quod dico. Necessarium est enim, vt doctrina hæc in Ecclesia retineatur, quam diu apud Christianos extinctam, nuper per M. Lutherum excitauit sublimis Christi spiritus: nunc eadẽ denuò in Ecclesia nescio qua temporum infelicitate flaccessere incipit, insidiosa videlicet arte Satanæ, qui dum alijs contentionum ac factionũ parergis orbem Christianum vbiq; inuoluit, id interim quod vnicè præcipuum est nostræ salutis caput, ferè extorsit è manibus. Sed viuit Christus illo potentior, qui sponsæ suæ nunquam est defuturus.

FINIS.